

Zb
7886





QK 249 44

THRENOLOGIA

Z6
7886

De vita, rebus gestis, & tristissimo
simul ac beatissimo obitu

DN. ÆGIDII HVNNII:

MAGNI ILLIVS DOCTORIS THEOLO.
GI: ET PVRIORIS RELIGIONIS CHRISTI-
anæ assertoris ac vindicis acerrimi:

Recitata Witebergæ

CVM AB ORDINIBVS VNIVERSITA-
tis in luctu maximo & justissimo

Collegæ & præceptori desideratissimo parentaretur.

Autore

LEONHARTO HUTTERO,

S. Theologiæ Doctore & Profess. Ordinario.

*Accessit Epistola ad Illustrissimum Ducem Wirtebergicum, &c:
qua respondetur ad sannas & sarcasmos, quibus Adamus Tannerus
Ejev vita, pios HVNNII manes, ceu rabidus aliquis canis,
laccessere & allatrare voluit.*

WVITBERGÆ

Sumptibus Clementis Bergeri: Typis vero Cratonianis.

ANNO M. DC. IIII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is too light to transcribe accurately.





ILLVSTRISSIMO GENEROSISSIMO-
QVE PRINCIPI AC DOMINO,

Dn. FRIDERICO
DVCI VVIRTEMBERGICO ET TEC-
CENSI: COMITI MOMPELGARTENSI:
Domino in Heidenheim, &c: Domino
suo Clementissimo.

Salutem ac foelicitatem à DEO per IESVM
CHRISTVM precatur.



*Ampridem animus presagiebat, Princeps Illustris-
sime Dn. Clementissime. fore, vt haud prius in lucem ederetur
vera Narratio de vita, rebus gestis, & morte beatissimæ Ma-
gni Theologi Doctoris AEGIDII HVNNII; quin Ad-
versarij, & cum primis novelli illi Societatis Esavviticæ Mo-
nachi, foetidissimam vrinae sycophanticae luem in ipsum con-
spergerent. Nam genium & ingenium istorum hominum
nimis verè expressisse mihi videtur Regius Propheta David: Non, inquiens, lo-
quuntur isti pacem, loquuntur contra quietos terræ verba dolosa, quæ
excogitarunt: & dilataverunt os suum, dicentes: Euge, Euge, hoc
oculis nostris arridet: Cùm ceciderit non resurget: Destruite destrui-
te vsque ad fundamentum. Et D. Petrus natiuis suis coloribus Antichristum
Romanum (quem Pontificem & presulem Ecclesie Christi generalem nonnulli
inscite appellitant) eiusdemq; satellites Esavvitas depingens: Ipsi, inquit, velu-
ti animantia rationis expertia, vituperant quæ ignorant, fraudibus suis
se oblectant, MALEDICTIONIS FILII, &c.*

*Talis tragicus Theocrines ex malè feriata ista societate prodijt mercatu hoc
proximo Francofurtensi, ceteris quidem non maior, sed audacior, Adamus Tannerus*

Psal. 35. 41.
& 137.

1. Pet. 2.



EPISTOLA

Esavvita : qui de morte HVNNII certior factus, Appendicem quandam, male tornato suo Apologetico, subiungere voluit, plenam virulentiae & ~~etiam~~ ^{etiam} ~~maximas~~ ^{maximas} sarcasticae. Nam in ea scurriliter mortuo HVNNIO insultans, furori atque impudentia laxis quod dicitur habenis ita indulget, ut & de praematura ipsius morte suaviter letetur, & (haud secus ac praeco aliquis Stygius, vel hari vel nudius tertius ex inferno ad mortales ablegatus) uniuerso orbi Christiano annunciet, jam penitus actum esse de HVNNIO, jam modò ipsum aeternae perditioni mancipatum, vltimis inferorum flammis, & quidem non in purgatorio, ex quo fortè (*Esavvitarum* cum primis mediante intercessione) spes aliqua liberationis foret reliqua: sed in infimo damnatorum loco ustulari.

Sed quid mirum ad conuitia, scommata, sannas, sarcasmos, blasphemias converti tandem eos, quibus jam pridem omnis pietas & reverentia, omnis certè pudor atq; verecundia penitus defloruit? imò quibus asyli loco istud vnicè est relictum, ut dum disputando proficere nequeunt, saltem conuitiando viros se praestent?

HVNNIVM sanè nostrum, non quidem attritum viribus, non senectà confectum: sed laboribus tamen assiduis, & curis perpetuis, pro Ecclesiae salute & incremento susceptis, fractum satis debilitatumq;, fato praemature esse extinctum, nouimus (tacente etiam Tannero) ipsi: nec tam nouimus, quam iustis lachrymis deploramus.

Sed quòd tu Tannere singulare aliquod irae ac furoris divini exemplum facto huic subesse autumas: & pro innata conuitiandi libidine, HUNNIUM tanquam Nabalem (stultum,) tanquam inimicum DOMINI, tanquam peccatorem à facie DEI periisse grunnis: nae stupendam tuam tum iudiciorum divinorum ignorantiam, tum mentis vanitatem manifestè prodis: ita ut verè in te quadret illud sapientis: Impij vident finem (mortem praeproperam) sapientis, & non intelligunt, quid cogitauerit de eo DEVS.

Nam si in re vllà alia admiranda diuinae prouidentiae vestigia videre licet: certè ex diversa illa sorte, siue dissimili termino vitae piorum ac impiorum, vel maxime ea elucescunt; vsq; adè, ut si humano standum esset calculo, DEVS interdum in promissionibus & comminationibus suis, vix sibi ipsi satis constare videretur.

De impijs & stultis habet Scriptura: Antequàm dies eorum impleantur, peribunt: & ramus eorum non virescet: violenter decerpentur quasi botrus vineae immaturus, & quasi oliua proijciens florem suum: Et Viri sanguinum ac dolosi non dimidiabunt dies suos.

Quod licet in multis, ut in filiis Heli sacerdotis, in Absolone, in plerisque Pon-

tifici-

Sap. 4.

Iob 15.

Roma. 55.

N U N C I P A T O R I A.

tificibus Romanis, teste Platinâ, inq̄, hominibus impiis ac sceleratis alijs, actu ipso fuerit comprobatum: constat tamen impiorum plurimos & floruisse foelicissime, & vixisse diutissime.

De piis & sapientibus affirmat DEVS ipse: Numerum dierum tuorum complebo, si servias DOMINO DEO tuo. Et Salomon: Fili mi, præcepta mea custodiat cor tuum, quia longitudinem dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Quam sanè promissionem etsi DEVS in quibusdam verè xplevit: vix tamen quisquam negare ausus fuerit, piorum quàm plurimos vix ad ætatis ætatem pervenisse.

Ezechias Rex Iuda verè pius, anno ætatis 39. morbo letali corripitur, & licet precibus quindecim annorum prorogationem impetraverit, annum tamen quinquagesimum quartum (quem ipsum HVNNIVS etiam noster fermè attigit) excedere ipsi haud licuit.

Iosias Rex Iuda, cuius Zelum in perpurgando cultu DOMINI, Scriptura mirificè deprecatur, moritur anno ætatis tricesimo nono.

Proinde uti ex impiorum stultorumq̄ maximo, de peculiari DEI in ipsos amore ac favore: ita & ex piorum præpropere morte de singulari ira divine erga eosdem furore, vix quisquam argumentum sumserit, nisi qui cum Tannero iudiciorum divinorum admirandam circa utrorumq̄ exitum dispositionem vel ignoraverit, vel cum ratione insanierit.

Scriptura certè varietatis ac dissimilitudinis causas partim perspicuè explicat, partim eas tanquàm latentes & absconditas adorare magis, quàm rimari jubet. Cur interdum impiis DEVS vitæ terminum proroget, causam reddit Apostolus: An nescis inquit, quòd patientia & benignitas DEI ad pœnitentiam (id quoque tibi Tannero dictum puta) allicit. Cur idem DEVS præmature fato pios extinguere permittat, Spiritus sanctus in Scripturis rationem reddit Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colliguntur, & non est, qui intelligat: à facie enim mali collectus est justus. Et justus, si morte præoccupatus fuerit, in pace erit.

Sed obstreperit Tannerus: Ad DEVM iudicem in nupero Colloquio Ratisbonensi aliquoties HVNNIVS provocavit. Ergò ad iudicium DEVS vocatus adfuit? Quid audio? Siccinè ergò mortem HVNNII DEVS esse voluit instar sententiæ definitivæ, & instar vocis iudicis controversiarum, ut iam Lutherani causâ cecidisse videri debeant, quia videlicet Tannerus adhuc superstes lucis huius usura fruitur: HVNNIVS verò fato functus est? Vah bardum hominem? Faciunt nimirum Esavvite, ut intelligendo nihil intelligant, secundum illud: φάρον-

Exod. 23.

Prov. 3.

2. Reg. 20.
Esa. 38.

2. Reg. 23.
2. Paral. 35.

Rom. 2.

Iesai. 57.

Sapient. 3. & 4.

Rom. 1.

τες ειναι σοφοι, ἰμωζώνηστων : Cum dicant se esse sapientes : stulti facti sunt.

Ecquis enim per DEVM immortalem vel fando audivit, eâ conditione Rationâ nuper vel discessum: vel provocationis Hunniane formulam fuisse istam: vel in Scripturis sacris modum istum definitum, vel etiam unquam in Ecclesia observatum: ut, qui prior litigantium, & quidem in ipso etatis flore, satis concesserit, illius Religio ac doctrina hoc ipso pacto tanquam heretica à DEO iudicata & proclamata esse, censeari debeat? Quotusquisq; sanctorum Patrum & Episcoporum purioris Ecclesie (quibus varijs cum hereticis ἀσπονδῶν semper bellum fuit) Corpore, viribus, etate, ingenio vigens ac pollens prematura morte abreptus fuit: Adversariis ipsorum contrâ vel maximè florentibus? Siccine ergò ὀργῶδ' ὀξίας laudem ac encomium hereticis ad scribendum tùm fuerat? Ita per omnè modum secundum novam hanc disputandi formam Tannerianam, tripode Esavviticâ perquam dignum.

Sed acumen hoc Lololanum ignoravit Apostolus, ignorarunt patres, ignoravit HVNNIVS, ignoravit Ecclesia Catholica omnibus temporibus. Divus certè Apostolus ad iudicium DEI provocans, Tempus definivit non mortis vel suæ vel adversariorum, non etatis vel ἀκμῆν vel πρῶτης ἀκμῆν: Sed diem illam, in qua iudicabit DOMINVS de occultis hominum, secundum Evangelium suum. Sic HVNNIVS in Colloquio nupero ad DEVM iudicem provocans, respexit ad diem illum universalis iudicij, quo omnium hominum corda patebunt & quisq; accipiet secundum opera sua. Quem diem letus etiam nūm expectat HVNNIVS, & cum eo expectant p̄i quicq; qui vino scortationis meretricis Babylonica, Antichristi videlicet Romani, inebriari sese haud passi sunt.

Quis proinde non furcâ dignam iudicet detestandam hanc sive vesaniam sive petulantiam, quâ tanquã furijs infernalibus actus Tannerus, ex prepropera HVNNII morte, insultandi ac triumphandi materiam captans, ἐπιβόλιον (sed verè πρὸς τὴν κηρῶν,) altâ voce canit: En iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa: vocatus enim in iudiciũ DEVS adfuit, exurrexit, & iudicavit causam suâ: memor fuit improperiorum suorum, eorum quæ ab insipiente erat tota die: quin etiam simul nostram causam discrevit de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso, (ac versipelli) eruit nos, ut planè cum Davide exclamare cogamur: Benedictus Dominus, qui iudicavit causam opprobrii nostri de manu Nabal (stulti huius) & servos suos custodivit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius &c:

Sed rideat & subsannet Esavvus iste, quantum & quamdiu volet. Quis enim Sycophantarum moribus aptum inveniat remedium? Quod si tamen monitis

saniori-

Rom. 2.

ἐπιβόλιον Tan-
neri συκοφαν-
τῶδες.

N U N C I P A T O R I A.

sanioribus locus apud ipsum ullus esset reliquus, illud Apostoli in aurem ipsi insurrarem: Noli altum sapere, sed time: Et illud Davidicum: Imposuit quidem nobis DEVS onus: veruntamen confringet capita inimicorū suorum: verticem capilli permanentium in delictis suis. Et, Si iudicium cipit à domo DOMINI, quis finis erit eorum, qui non credunt Evangelio DEI? Nostrum auxilium est in nomine DOMINI, qui fecit Cœlum & terram; quiq; uti olim defuncto Moyse, Iosua: in cœlis sublato Eliâ, Eliseum: cremato Husso, Lutherum substituit: ita in Cœlum translato HVNNIO, alterum surrogabit Hunnium: imò iam modò non unum, sed plures surrogavit, Theologos Lutheranos doctrinâ & auctoritate graves, qui bellum DOMINI bellare, & Esavvitis leoninam, in quam Asini isti Cumani se hactenus abdidierunt, porro detrahere valebunt.

Rom. 11.

Psal. 68.

1. Petr. 4.

Psal. 124.

Causa tua est: Causam CHRISTE tuere tuam.

Ceterum ut ad Doctorem HVNNIVM redeam, Princeps Illustrissime, Domine Clementissime: qualis & quantus ipse Theologus fuerit: qua & quam gravia certamina atq; pericula ob assertionem purioris Religionis Christianæ non tam intrepidè subierit, quam masculè sustinuerit: qua & quanta ipsius in universam Rempublicam Christianam extent promerita: Oratione aliqua non quidem ut volui, sed ut per angustiam temporis, & occupationum multitudinem potui, sum cõplexus: non eo certè sine, vt Adversariis, Esavvitis cumprimis, os maledicum penitus obtunderem: Haud enim prius isti innatum calumniandi & maledicendi studium abijcient: quam Pardus maculas mutaverit: Sed ut rebus præclare ab HVNNIO gestis, ipsiusq; meritis aliqua saltem constaret gloria & immortalitas.

Quod verò hunc meum qualemcunq; laborem, Augusto Celsitudinis Tuæ nomini sacrum esse volui, causas me habere arbitror longè iustissimas.

Erat HVNNIVS ex eorum numero, qui tum in Monasterijs reformatis inclyti Ducatus VVirtebergici, Adelbergæ & Maulbrunnæ: tum verò in illustri Stipendio Tubingensi iam inde à primis adolescentiæ annis fuit enutritus: ibiq; annos propè undecim, partim in ipso stipendio, partim (ultimis annis) in Diaconatu curriculum Theologicum cumprimis studij continuavit: & utrumq; gradum in Philosophia, deniq; & Doctorem in Theologia, per DEI gratiam est consecutus.

Accedit quod Illustrissima Tua Celsitudo, de HVNNII studijs & laboribus tam honorificum tulit iudiciū, ut superioribus annis aliquoties ipsum, ad amplissimum munus Cancellariatus in Academia, & Præpositura in Ecclesia Tubingensi capeffendum hinc evocaret, vel potius revocaret.

Quare

EPISTOLA

Quare uti beneficia isthac & plurima & maxima grata mente predicare, nunquam HVNNIVS ipse destitit: seq, his ipsis nominibus Tue Celsitudinis obligatum devinctumq, semper, & quidem merito agnovit: ita Ego HVNNIVM jam defunctum, eiusdemq, laudes, & merita, non nisi Tue Celsitudinis, totiq, Illustrissima domui VVirttembergiaca deberi arbitratus sum: & sorte idem necum arbitrabuntur, quotquot aequa lance rem expenderit.

Quod superest, inclytam Celsitudinem Tuam, una cum Illustrissima Coniuge, & generosissimis liberis, qua possum animi pietate & submissione, aeterno DEO commendo: eundemq, supplex veneror, ut Tuam Celsitudinem, quam diutissime sospitem ac florentem conservet. AMEN.

VVitebergae Calendis Octobris: Anni gratia 1603.

Tuae Illustris. Celsitudinis

Subiectissimus

Leonbardus Hutterus D.



DEI

DEI GRATIA
AVGVSTVS DVX
SAXONIÆ, LANDGRAVIVS
THVRINGIÆ, MARCHIO
Misnia, &c.

RECTOR ACADEMIÆ
VVITEBERGENSIS,
uniuersæ eiusdem Academiæ ciuibus
clementiam & fauorem.

HIC ANNVS, SI VLLVS AN-
te hunc alius, obitu plurimorum, non modò
Natalium sed & Virtutis & Doctrinæ splen-
dore Clarissimorum hominum in primis ha-
betur nobilis. Nec opus est, vt quenquam, re-
tam recenti, in exemplum nominatim cite-
mus, apud vos præsertim, qui hæc talia è publicatis famæ &
litterarum monumentis cognoscere potuistis. Funestæ hu-
ius, vt sic dicamus, historiæ paginam vnam fecit nostra quo-
que Ecclesia & Academia: quando ante aliquot hos cè men-
ses AEGIDIUM HVNNIVM amisit: eum Virum, qui
vtriusque singulare non solùm ornamentum, sed & firma-
mentum, tum famâ hominum foris, tum re ipsâ domi habe-
batur: & de quo omnis Christiana Respublica sibi meritò
gratulabatur. Quid enim ille voce & calamo valuerit: quan-
tâ vi animi, quantâque prudentiâ Templum illud Domini,
quod alicubi per incuriam ædificantium rimas agere, alicu-
bi per ambitionem perperam tractari, alicubi etiam per vim
hostilem manifestò ruinam minari videbat, curauerit; non
tam Germania nostra, quàm uniuersa Europa novit: &
B quem-

*Lumen
Lutheriana
Schola*

quemadmodum de tanto heroë ac duce militiae Christianae nobiscum nunc olim sibi gratulata est, ita nunc eodem per mortem sublato, nostrum dolorem, imò & suum totiusque militantis Ecclesiae ex animo dolere publicè fatetur. Et ferreum, ut sic dicamus, cor habeat oportet, quem casus iste nò moveat; qui quidem germanus in Christiana Republica civis sit. Nam extranei, & qui (ut Scriptura loqui amat) foris sunt, tantum abest, ut hanc cladem vel ingemiscant, ut etiam serio, tanquam in servato publico statu sibi gratulentur, & nobis in domestica calamitate feroceiter insultent. Id quod nos sapientis & misericordis DEI iudicio relinquimus, qui horum omnium iudex & vindex suo tempore, quod se dignum & Ecclesiae suae utile erit, faciet. Interim illud in maximâ beneficij parte reputamus, modisque omnibus meritò celebramus, quòd in mediâ ira (si ira fuit) misericordiae suae oblitus fuerit, sed hinc inde in ista militiâ Christiana alios eodem spiritu & armis instruxerit, qui bellum istud cum Rufo Dracone & Antiquo Serpente non minori successu in posterum debellent, quàm olim fecit HVNNIVS, De cuius quidem vita & morte, etsi ab aliis, & praesertim in concione funebri, aliquid dictum sit; necessarium tamen visum est, nò HVNNII solum causâ, aut Academiae nostratis, sed totius Ecclesiae, ut de singulis plenius & accuratius, quàm hactenus factum, diceretur. Idque cum Reverendus & Clarissimus vir Doctor LEONHARTVS HVTTERTVS, Academiae huius Theologus, & Noster dilectus in se receperit; ei que rei hora Nona diei crastini constituta sit; volumus ut omnes & singuli, qui è nostris estis, ad praestitutum tempus in Auditorio majori conveniatis: audituri de Theologo ob divinas eius virtutes omni laude cumulando, ex ore Theologi & nunc olim Collegae differtis, & Praeconis tanto Theologo dignissimi, P. P. Dominica XII. à festo Trinitatis: Anno Christiano M. D. CIII.

THE



THRENOLOGIA.

*P*upilli facti sumus absque patre: Matres nostræ quasi viduæ: Defecit gaudium cordis nostri: Versus est in luctum chorus noster: Cecidit corona capitis nostri: Væ nobis, quia peccavimus.

Thren. 5, 3.
T 15. T 16.



LICEAT PRORECTOR MAGNIFICE, Illustres ac generosi Barones: Reverendissime ac Magnifice, D. Doctor POLYCARPE LYSERE: viri Nobilissimi Strenui, Reverendi, Consultissimi, Clarissimi: Tuque Concio Nobilissima atque Ornatissima: Liceat inquam iisdem verbis Lamentationis meæ facere Exordium; quibus olim sanctissimus Propheta Ieremias, luctuosissimum populi Iudaici statum sub captivitate Babylonica satis tragicè deplorare voluit.

Amisimus ante aliquot hosce menses, vel ut piè magis loquar, præmisimus ex hac lachrymarum valle ad æterna Cœlorum gaudia, Magnum illum Theologum, imò Theologorum nostri seculi omnium Phosphorum, ÆGIDIUM HUNNIUM: ex cuius obitu, quàm grave & acerbum, imò, vera fateri si licet, prorsus immedicabile vulnus, nostræ & Academiæ & Ecclesiæ: ah quid dico nostræ? imò Reipublicæ Christianæ universæ infligatur: pij qui sunt & prudentes facile intelligunt. Orbatur Ecclesia Pastore vigilantissimo: nudatur Collegium nostrum Theologicum præsidio firmissimo: destituitur Academia seniore & Doctore incôparabili: privantur Studiosi adolescentes, cum primis tenuioris qui sunt fortunæ, patrono, Meccenate, imò parente liberalissimo, benignissimo: &, quod caput rei est, spoliatur doctrinæ cœlestis veritas, custode, vindice, propugnatore longè acerrimo. Talè ac tantū virum amisimus Auditores, & quidem non senio confe-

Thren. 2, 13.

etum: sed constanti adhuc valentem ætate: vt haud immeritò cum Propheta rursus ingemiscere cogamur: *Magna est, veluti mare, plaga nostra: Quis huic medebitur?* Certè, non vel vt fungi nascuntur, vel in triuijs reperiuntur Ecclesiarum Scholarumque Doctores pij, fideles, prudentes: Sed uti diuinæ bonitati unicè acceptum est ferendum, quoties huiusmodi lumina accendit Deus: Ita, si eadem tristi & præmature fato, extingui permittat, nonne iræ ipsius indicium erit longè euidētissimum?

Anaxagoram Philosophum, cum de Filij morte nuncium accepisset, respondisse legimus: Sciebam Filium me genuisse mortalem: Quin & eundem, cum Lampfaci moreretur, quærentibus amicis, velletné Clazomenas in patriam, iam fato functus, deferri; dixisse: Nihil necesse est: Vndique enim ad inferos tantundem viæ est. Hæc Philosophi Ethnici ἀεροάματα, à magno quidem animo, (quippe mortis, quâ nihil alioquin homini terribilius accidere potest, contemptore,) profecta videntur: quemadmodum sanè hodieque haud desunt, qui has & similes voces, ad Cælum summis propè laudibus euehant: & susque deque ferant, siue Nobilis siue Ignobilis; siue Consul siue Rusticus: siue Theologus siue Vespillo moriatur: haud plaris Clarorum virorum, deque Repub. Christiana præclare meritorum obitus æstimantes, quâ si vel aer in ignem abeat, vel vapor aquæ in nubem densetur, vel marcescat planta, vel animal brutum tabescat & intereat.

Isa. 57, 1.

2. Reg. 22, 2.

Cæterum nobis, qui Christiani esse magis, quàm videri volumus, tantorum virorum fata paulò altiùs contemplanda veniunt. Minatur apud Prophetam Deus inter alias pœnas & istam, quod ex populo suo auferre velit Prophetas & senes, & quidem à facie mali, ne videant oculi ipsorum mala, quæ introducturus sit super terram: vti scriptura loquitur: ἦταν γὰρ μίλλει κακῶς πράξεν πόλις, ἐξῆλε τὸς ἀνδρας ἀγαθὸς ἐν τῆς πύλαις ὁ θεός: quod experientia ipsa Platonem quoque docuit. Quàm tristis τύφλας & ἀναρχία quâ politiam, quâ cultum diuinum in regno Iudaico exceperit mortem Iosua, Samuelis, Salomonis, & reliquorum Prophetarum Regumque piorum: ex sacrae historiae monumentis notius est, quàm vt prolixiore narratione, apud vos præsertim, indigeat. Hinc tragicæ illæ querelæ & threnologiæ natæ sunt, quibus magnorum virorum fata, quippè ominosa, pij plarumque sunt profecuti.

Elifaz

Elifæus Propheta, Præceptore suo Eliâ, in turbine, curru & equis igneis in Cælum sublato, voce lachrymabili exclamat, Pater mi, Pater mi, Currus & equites Israël.

2. Reg. 2, 12.

Regius Propneta David, Ionathano pro patria & populo DEI fortiter pugnante, inque prælio occumbente, flens & ejulans exclamat: Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?

2. Sam. 1, 27.

Idem Abnerum interfectum deflens: Hodie, inquit, cecidit Princeps & maximus in Israël: Ego verò adhuc juvenis sum, & vix unctus in Regem.

2. Sam. 3, 38.
39.

Stilico Vandalus, Honorii Imp. gener, de Ambrosio Episcopo Mediolanensi, lethali morbo correpto, dixisse legitur: Si hic vir Naturæ concesserit, ultimus Italiae impendebit interitus. Et sanè respondit eventus, mox post mortem Ambrosii, Gothis & Vandalis totam Italiam miserè devastantibus.

Sigon. lib. 10.
de Imp. Occident.

Sic fati concedente D. Augustino, Episcopo Hipponensi, totam Africam à Vandalis oppressam, dirutam, vastatam; quin & scdam illam ac blasphemam Ariarum hæresin motam esse, autor est Possidonius.

Possidon. in
vita Augusti-
ni.

Megalandri Lutheri nostri obitum, partim funestum illud bellum Germanicum: partim *σφύγγαδν* illam Formulam Interreligionis, quam vulgò Interim appellitare solent, excepisse, quis nostrum ignorat?

Cæterum si exempla atque historias percensere vellem omnes, quibus Clarorum virorum obitus, plærumque fatales fuisse demonstrare possem: citius me dies quam Oratio deficeret. Nam tametsi & isti debitu Naturæ solverunt in morte, quo solvendo tenemur promiscue omnes: Stat enim scdus antiquum: Semel moriendum est omnibus: Quo tamen magni illi viri, reliquis & dignitate, & meritis in Rempublicam magis hac in vita claruerunt: eò in ipsorum morte etiam, cum primis præmaturâ si fuerit, illustriora DEVS futurarum conversionum & motu signa edere consuevit. Et profecto haud meliorem nobis etiam fortem hodie extimescendam esse, facile intelligunt, qui non in utrumq; quod aiunt, oculum conquiescunt: sed præsentium temporum difficultatem paulò expendunt accuratius. Nam ut de eò nihil iam dicâ, quòd Oriens toti orbi Christiano, & cum primis patriæ nostræ dilectissimæ, Germaniæ, vastitatem & excidium, armis funestissimis minatur, quòd Septentrio nostram in perniciem immanissimas Scytharum gètes emittit. Ut, inquam, silentio nunc isthæc involvam: Illud, illud quaeso

Syra. 14, 12.
Hebræ. 9, 27.

Auditores, quoniam loco reputabimus, quod in medio nostri, Pontificiorum, & cum primis male feriatorum Esavvitarum gliscit rabies, & Cru-
delitas: cui Pontifex Romanus, homo ille perditionis, partim vi mani-
festâ partim occultâ fraude nequiter ancillatur: imò quod in ipso quasi
sinu nostro variæ vigent hæreses, graves dissensiones, tristes animorum
exacerbationes: Machiavellica Consilia: & quæ horum individua sunt
pedissequæ: Perfidia & Epicureismus.

Sed nolo ego Auditores isthæc exaggerare odiosius, ne malè omina-
ri velle, videri possim: quin tibi potius, Beatissime Doctor HUNNI, ex
animo gratulor, quod mala illa atrocissima, quæ jam jã lapsura, nostris
imminere videntur cervicibus, feliciter evasisti, & ex jactatione mundi
hujus procellosa, ad tranquillum sempiternæ beatitudinis portum aspi-
rasti: Factu DEVS Optime Maxime, ut tanti viri fato moniti, Tibi ad
vitæ emendationem severè vocanti, vel tandem sanctè obediamus, pœ-
nasq; prævaricationibus nostris promeritas, tuâ mediante gratia & mi-
sericordia, avertamus.

Sed venio nunc ad id, cujus gratia hæc potissimum illustris Panegy-
ris est instituta. Dicendum est, & Mihi quidem dicendum de Vita, Rebus
gestis, & Morte HUNNII nostri. Quam sanè provinciam nunquam
imponi mihi passus fuisset: si vel spectare voluissem, quâ ampla ad di-
cendum sese offerret materia. Quæ enim obsecro Orationis vis, quæ di-
cendi facultas, HUNNII nostri meritis, non dico amplificandis, sed sal-
tem enarrandis par esse possit? Vel, si Temporum nostrorum iniquita-
tem curassem; quibus neque veritas neque innocentia ipsa, quicquam
sive publicè sive privatim profiteri potest: quod non in dubium vocare,
aut Theonino dente calumniâdo arrodere ausit tragicus Theocrines a-
liquis: cui ne quidem sanctorum virorum in Iesu Christi sinu quiescē-
tium memoriam, exquisitissimis mendacijs ac calumnijs conspurcare,
religio est. Quam sanè sortem & fortunam, Mihi meoque HUNNIO
jam modò ab Esavvitis, à Sacramentariis, à fanaticis alijs abundè paratâ
esse, quis ambiget?

Verum posthabitis rationibus istis, plus apud me ponderis momen-
tiq; obtinuerunt partim insignia piè defuncti HUNNII nostri merita,
quibus me quoq; sibi ad æternam gratitudinem devinxit & obligavit:
partim verò voluntas eorum, quorum ego neq; autoritatem aspernari:

neq; iussa negligere honestè vel debui vel potui. Et quanquam, ut apud Homerum Achilles ad Priamum ait, *Ἐκ κρύου γόοιο*, luctus frigidi nulla videtur esse utilitas: Virtutū tamen ac meritorū præclarorum sanctè colenda, neq; cum corpore ipso sepelienda est memoria: nedum bene meriti eo habendi loco, quo *ἄψιδον ἱστούματα*, ut trito fertur adagio.

Dicam ergò & dicam sine pompa Oratoria: Hanc enim palmam certè non affecto, sed lubens dicendi Magistris eam cedo: dicam inquā de vita, rebus gestis & Morte HVNNII nostri, & quidem summa sequens rerum fastigia, quoad eius fieri poterit brevissimè.

Quod dum facio, viri ac juvenes omnium ordinum præstantissimi, solito me favore audire dignemini, vehementer etiam atque etiam rogo.

Solent aliorum laudes celebrandas qui suscipiūt, à parentum majorumque virtutibus & rebus præclare gestis ordiri. Neq; ego sanè institutum illorum improbandum esse existimo, cum plerumq; quemadmodū à bono germinæ plantulæ commendantur: ita à bonis, præclaris, generosis parentibus prognati, boni & ipsi atque generosi esse soleant. Verum si rem paulò altius considerare voluerimus, non minorem, sed maiorem potiùs laudem illis tribuendam esse reperiemus, qui suis rebus gestis flōrent & inclarescunt, non solā parentum aut majorum virtute nituntur:

*Quid enim, (ut Poeta canit) imaginibus, quid a vitis sub-
ta triumphis.*

*Atria, quid pleni numeroso Consule fasti,
Profuerint, si vita labat? Perit omnis in illo
Gentis honos: cuius laus est in origine sola.*

Natus est quidem HVNNIVS noster (ut de primis vitæ initiis aliquid etiam dicamus) parentibus laicis & illiteratis: sed quæ summa ortus nostri claritas esse potest, Christianis, pijs, honestis, VVinendæ in agro VVirtembergico, Anno Christi suprā millesimum quingentesimum quinquagesimo, die 27. Decembris, memoriæ D. Thomæ Apostoli sacro: Quem diem sibi etiam eximium & solemnem habere quotannis consuevit: non modò, quod illo die homo primū natus: sed potiùs, quòd per aquam & Spiritum Christianus renatus esset,

mi-



6
 ministerio Reverendi viri M. CASPARI LEYSERI, Reverendæ
 tuæ Dignitatis, Præclarissime D. Doctor POLYCARPE, parentis piæ
 ac beatæ memoriæ.

Verùm uti dixi non alienam siue ascititiam, sed propriam veramque
 laudē HUNNII nostri inquirere placet: cuius generis illud est, quòd
 priusquam hanc in lucem ille ederetur, DEUS ipse, qualis quantumque
 vir esset futurus, haud obscure demonstrare voluit. Aliquoties enim
 matri, uterum adhuc gestanti cœlestis visio, & quidem, uti illa sanctè
 affirmabat, non verè dormienti, oblata fuit: cuius summa hæc erat: Vi-
 debatur sibi mater sedere in templo, suo loco, & manu dextrâ quippiam
 humo attollere, simile culmo stramineo: cumque id teneret inter ante-
 riores digitos, cœpit ita crescere, mater verò sub mole sic angì, sic la-
 borare, sic affligi, ac si penitus succubitura esset: Cumque jam jam vi-
 deretur actum, & planè se putaret interituram sub onere, repente vidit
 id in Templi columnam versum, & se onere eo liberatam.

Visiorem auditis & somnium: sed somnium verè *διόπτρον* & so-
 mnum complemento ipso omni ex parte plenissimè confirmatum. Erat
 HUNNIVS noster, originem Natalium si spectes, culmus ille strami-
 neus, quippe parentibus natus idiotis & vulgaribus: Sed succrevit ille
 in columnam Ecclesiæ Christi longè firmissimam, siue doctrinæ puri-
 tatem, siue zelum illum, quo pro domo DOMINI flagrabat, respicias.
 Et sanè, quæ singularis in HUNNIO erat modestia, usque adeò non ob-
 somnium istud matri immissum, eiusque complementum, insolentius
 ille efferebatur: ut ne semel quidem nobis Collegis, cum quibus tamen
 familiarissimè conjunctissimèque vivebat, illud revelaverit: fortè æter-
 nà oblivione sepeliendum, nisi partim ipse in charta quapiam, illud cõ-
 signasset: partim verò ex literis insignis & præclarissimi Theologi, Do-
 ctoris STEPHANI GERLACHII, Professoris Academiae Tubin-
 gensis celeberrimi, ad HUNNIUM nostrum datis idem cognoscere
 licuisset. Exarata verò sunt illæ Constantinopoli ad columnam Con-
 stantini M. purpuream: die 19. Maii: Anno supra millesimum quingé-
 tesimum septuagesimo septimo: ex quibus, quantum ad institutum no-
 strum facere videtur, hoc loco inserere placet: Sic autem ille: Somnia
 quædam fatidica esse, non solum Scripturæ testimonio, sed tuo quoque
 exemplo patere video. Postquam enim amicorum nostrorum literis ac-
 ceperam ornatum te Doctoreis honoribus, Scholæ Marpurgensi, Theolo-

giam

giam docendi causa, profectum esse, recordatus sum Somnij matris tuae, quae vidit te ex utero egressum in templi columnam converti. Id hodierno die complementum suum sortiri, nemo nisi invidus negabit. Haecenus D. Gerlachius.

Ridebunt sat scio Esavvitae, ridebunt & Sacramentarij, & (quae istorum hominum nativa ad cavillandum est propensio) venenatis Sarcasmis, divina isthaec eludent praesagia, quae ratione alia nulla convellere possunt. Sed rideant, & cum Atheniensibus *επιαιας* festum celebrent, quantum & quandiu volent: Quis enim Sycophantarum moribus aptum inveniet remedium? Interim tamen vel proprijs cauteriatae conscientiae stimulis adacti, fateri necesse habebunt, fuisse sanè H V N N I U M nostrum, suo quoque loco ac respectu, *εὐλιν καὶ ἐδραίαυα* veritatis: inque eo luculentissimè impletum id, quod somnium ipsum sive visio haud obscurè promittebat.

Cæterùm licet parentes H V N N I I nostri, essent homines laici & illiterati: visione tamen hac, quam in primis pia mater animo servabat & volvebat, moniti, literis ipsum, ut primùm per ætatem potuit, in schola patria erudiri curarunt: ex qua ad Adelbergensis ac paulò post Maulbrunnensis Cœnobij Scholam missus, paucorum annorum intervallo ea fundamenta pro ingenij felicitate posuit, ut postmodum Tubingæ sine periculo quod vellet, altissimum humanæ ac divinæ sapientiæ Templum superstrueret.

Quemadmodum verò circa ipsius nativitatem illustri planè indicio & documento sese ostendit Dei providentia: ita eadem puerum jam factum nõ minore cura complexa est, tenerum illius pectus sic regens mirabiliter, sic adversus huius mundi corruptelas & illecebras egregiè obfirmans, ut licet inter corruptissimos adolescentes viveret, nullis tamen rationibus, quantumlibet ad seductionem exquisitè compositis, irretiri laqueis impietatis potuerit, aut eò perPELLI, ut à pietatis, & honestatis tramite, ad scelera atque flagitia mundi huius declinaret: Sed Dei Spiritu adversus omnis generis offendicula, insigniter confirmatus, vitæ suæ modum, in medio lubricæ adolescentiæ juventutisq; cursu facile teneret: imò Diaboli tela, quibus iam tum *μυριότεχνης* iste generis humani hostis, Hunnio adolescentulo adhuc infidiabatur, mirabiliter reprimeret. Quæ de re audire placet ipsum H V N N I U M, sic alicubi differentem.

Incidi (scribit HVNNIUS) in utroque monasterio in adolescentes corruptissimos, per quos Diabolus mihi vehementer insidiatus est, ut suis retibus me totum implicaret. Accidit autem aliquando Adelbergæ, cum nos Scholastici unâ considerarem, & de varijs rebus colloqueremur, ut unus quispiam diceret de peccato in Spiritum sanctum, esse id irremissibile, cuius venia nunquam impetrari posset. Hic sermo spiculum lethiferum mihi infixit, ut horribilis, & quidem subita tentatio animum meum fortissimè percelleret. Quia enim latebat me definitio huius peccati: suggerebat Satanus, Quid si tu forsitan tale peccatum admisisses? Et omninò cogitabat Diabolus me ea tentatione absorbere. Hoc ipsum tùm coram condiscipulis planè dissimulabam, ibam cubitum supra omnem modum tristis, noctu in lecto orabam, flebam, implorabam Dei misericordiam, petebam ut me solida & idonea consolatione erigeret. Vix tandem ijs gemitibus & fletibus indormiebam. Manè surgo ad preces consuetas adhuc valde tristis. Postea cum horâ sextâ matutinâ Lectio frequentanda esset, occupo locum meum: & invenio in ipso vestigio loci mei, super mensam, Margaritam Theologicam Iohannis Spangenbergij, & quidem librum apertum: ad cuius primum conspectum offert se mihi quæstio de peccato in Spiritum sanctum, & subiuncta responsio ex Augustino, qui peccatum in Spiritum sanctum finali impœnitentia definit. Quamquã autem annis sequentibus didici aliquid amplius esse id peccatum: tamen, ut semper est coniunctum cum finali impœnitentia, & induratione: Sic lectio eius loci me efficacissimè consolabatur. Et ego quidem ne tantillum dubito, quin divina providentia factum sit, ut liber ille jaceret apertus, & quidem ille ipse locus, & quidem in meo loco quem ego in lectione solebam occupare. Haftenus HVNNIUS.

Elucet certè hinc miranda Dei providentia, & impletio illius promissionis Apostolicæ: Fidelis est Deus, qui non permittit vos tentari supra vires: sed unâ cum tentatione largitur exitum salutarem, ut sufferre possitis. Cæterùm quod semel opus bonum in HVNNIO adolescentulo adhuc Deus operari cœpit: illud in ætatis progressu, magis magisque confirmavit, imò tandem consummavit.

Nam, ut cum HVNNIO nostro ex Monasterijs & Scholis, uti vocant, trivialibus, ad Turingensem Academiam progrediamur, certè vel hic Dei providentia pleno quasi jubare sese conspiciendam præbet.

Post.

Postquam enim eò promotus erat, mox admirandæ *ἀρχιβολας καὶ εἰσπρασίας* documenta edidit: ut artes atque scientias humaniores, non tam ab aliis accipere, quam ex seipso parere & proferre videretur: dum per lulum & jocum quasi arripere potuit facilimè, & retinere firmissimè, quæ alij multo tempore, multoq; sudore vix tandem percipiunt, & ægerimè meminerunt. Philosophiæ disciplinas, non, uti nostra hodiè juven-tus, magna cum studiorum jactura facere solet, vel in obscuris quorumvis profitentium angulis, vel ex imperfectis, & turbidum fluentibus compendiorum, dispendiorum veriùs dixerim, lacunis: sed à publicis præceptoribus, & ex ipsis limpidissimis fontibus, hoc est, ex sobrijs il-lis & antiquissimæ notæ Magistris hausit: & quidem usque adeo soli-dè addidit, ut ætatis anno decimoséptimo, Magister Artium magna cum *ἐπισημασίᾳ* in Academia Tubingensi jure meritoque crearetur.

Hoc gradu insignitus ad studium illud sacrum, quod Theologicum vocamus, animum appulit: & quod Regius Propheta David summa in beatitudine reponit, in lege Domini voluptatem unicè collocatam ha-buit. Vnde Bibliis suis Latinis, quæ diurna nocturnaque manu tum versabat, *γνώμην* illam Propheticam, tanquam quotidianum *ἐκπαινεῖον* lite-ris majusculis mox in frontispicio adscribere voluit: Gaudens gaude-bo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me ve-stimentis salutis: & indumento justitiæ circumdedit me, quasi spon-sum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Is. 61, 10.

Incidit autem singulari Dei providentia in eos Theologos Docto-res, quibus clariores Academia Tubingensis vix unquam habuit: du-bito an habitura sit: imò quibus nostra hæc VViteberga, quin & tota Saxonica, cum Misniâ & Thuringiâ, imò Germania universa plurimum debet. Quis enim ignorat merita Magni illius IACOBI ANDREÆ, quibus (ut alia silentio nunc involvam) eo potissimum tempore, quo liber Christianæ Concordiæ, jussu Electorum ac Principum, Augusta-næ Confessioni addictorum, erat conscribendus, non has modò terras, sed plurimas regiones & provincias alias, ad sempiternam gratæ recor-dationis memoriam sibi devinxit? Quis ignorat Spiritum & animi He-roicam fortitudinem, quâ IACOBVS HEERBRANDVS tum varijs scriptis adversus Romanenses felicissimè pugnavit: tum verò aureo il-lo suo Compendio Theologico, de universâ Studiosâ juventute præ-

clarissimè est meritis? Quis ignorat admirabilem illam Suaviloquentiam, & singularem dexteritatem, qua THEODORICVS SCHNEPFIVS in docendo præ reliquis tum excelluit? Quibus annumerari potest & debet D. BRENTIVS, Magni illius Iohannis Brentij filius: cuius humanitatem & industriam Tubingensis Academia, & qui ipsum noverunt, omnes, merito deprædicant. Hac ergò aureâ discendi oblata commoditate rectè uti voluit, imò usus est rectissimè HVNNIVS: id quod ipsorum istorum Theologorum, quam meis verbis restatum facere malo. Sic autem illi.

Testamur hunc ÆGIDIUM HVNNIVM, cum studiorum apud nos Tyrocinia faceret, eâ innocentia vitæ, integritate morum, observantia præceptorum, studiorum assiduitate & vigilantia fuisse, ut statim omnes Professores in certam spem summi profectus erigeret. Nam cum præclaris indicijs virtutis & diligentia hic noster in ipsa adolescentia se omnibus commendaret, mox primam lauream studiorum est consecutus. Deinde ex hac meta, legitimo curriculo, tanquam ex carceribus ad Magisterij honorè contendere & aspirare cepit, quem & suis felicissimis conatibus, & consentientibus suorum præceptorum suffragijs & promotionibus adeptus est: Exercitia disputationum semper amavit: Quibus incredibile est, quantum intra breve temporis spatium profecerit, quantam sit apud Præceptores admirationem ingenij & sedulitatis adeptus. Pari deinde studio, cura & diligentia cum ex castris illis Philosophicis ad Scholas Theologicas transfret usus est. Nam per annos octo perpetuos (arrigite aures vos <sup>avrodida-
xros.</sup> qui sine cortice natare præsumitis, & vel uno biennio, vel ad summum triennio, universam rerum ac mysteriorum Theologorum abyssum exhaurire vos posse, somniatis :) Per annos inquam octo perpetuos, (per quatuor nimirum priores cum adhuc studiosum ageret: per quatuor verò posteriores, cum jam modò Diaconatu Tubingensi fungeretur,) omnes in facultate Theologica Doctores audivit, concionibus sacris diligentissimè interfuit: disputationes Theologicas nullas neglexit, in quibus etiam innumera specimina diligentia, profectus, & ingenij acuminis dedit. In collegio etiã illo Tubingensi præclaro, ubi Illustrissimus Princeps VVirtembergicus, quã plurimos beneficiarios, veluti seminariũ Ecclesiæ alit, de consilio præceptorũ nõ modo studia: sed mores etiam adolescentum rexit: ita ut non modo

ipse

ipse quotidie ad egregios profectus elaboraret, verum etiam aliis ad ingrediendas veras vitæ & studiorum rationes esset *εργαδιάρης*. Hæc illi: quibus ut fidem religiosè adhibeamus, haud juratis testibus opus fuerit: quin res ipsa per se loquitur.

Et sic habetis Auditores eam vitæ Hunnianæ partem, quæ pueritiam, iuventutem & Adolescentiâ complectitur: quæque, uti trito adagio dicitur, plus mellis quàm aloes habuit. Nunc ad eam me accingo partē, quæ HUNNII nostri labores tum in Ecclesiis tum in Academiis exaltatos, cirra cuiusquam *μεμψιμοσίων* sive insectationem expediet.

Ac ut à primis Ministerij Ecclesiastici annis ordiar, cum Illustrissimus Princeps VVirtembergicus LUDOVICUS beatissimæ memoriæ, animadverteret, HUNNIUM propè in ipsa Adolescentia vitæ suæ modum tenere, & eam vitæ innocentia eximiam eruditionem conjunxisse, noluit eum quemadmodum alios, ex urbe ad ministerium Ecclesiasticum vocare: sed Tubingæ sacris concionibus præfecit, & quidem eo consilio, ut cum exercitationibus istis Theologicis conjungeret lectiones Præceptorum, & ad solidam rerum ac controversiarum Theologicarum notitiâ elaboraret. Quod piissimi Principis VVirtembergici Cōsiliium in HUNNIO sanè fuit felicissimum. Factum enim, ut, cum vix biennium demandatam provinciam pro suis virtutib. laudabiliter, magnoque cum fructu administrasset, Illustrissimi Principes VVILHELMUS & LUDOVICUS Hassiæ Langravii, summi & pietatis & religionis purioris, & à Calvinismo repurgatę Meccænates, à Duce VVirtembergico LUDOVICO, sibi ex Academia Tubingensi Theologum doctam & industriū indulgeri peterent, & nominatim quidem eximiū illum IACOBVM HEERBRANDVM: qui Professori Marpurgensi pie defuncto succederet, & sacra in celebri illa Academia profiteretur. Ibi negotio hoc à Theologis Tubingensib. probè deliberato, solus HUNNIVS dignus visus fuit, cui tā splendida functio sine periculo demādari posset.

At verò HUNNIVS pro singulari animi sui modestia & humilitate, in oblatam vocationem consentire haud voluit, quòd se existimaret tāto oneri imparem, & sanctè confirmaret, malle se adhuc proficere, quā docere. Et profectò nisi autoritate Præceptorum fuisset permotus, hanc tam amplam provinciam omninò neglexisset. Est vero silentio minimè prætereundum præclarum illud elogium, quo Doctor HEERBRANDVS HUNNIUM nostrum Marpurgum abeuntem, prosequi & exor-

nare voluit. Nam cum ille ob causas fonticas, vocationi oblata parere non posset: Verum HVNNIVM, ætate quidem adhuc juvenem, sed doctrinâ & ingenio seniore substituisset: imitari se affirmabat exemplum Iohannis Reuchlini, sive CAPNIONIS, quem Erasmus Phœnicem trilinguem vocitabat. Is enim, cum à primo Fundatore huius Academiae VVitebergensis, FRIDERICO sapiente, Electore Saxonie, ex Tubingensi Academia huc evocaretur, ut nominis sui claritate Scholam hanc, tum adolescentem & obscuram, auctiorem magis & illustrè redderet: justis verò de causis adventum recusaret, PHILIPPVM MELANCHTHONEM veluti succedaneum emisit, cum tali elogio, Hunc Iuvenem se senem longè superaturum esse. Id quod HEERBRANDVS ad se, & HVNNIVM nostrum tunc temporis derivare non dubitavit.

Sic ergò HVNNIVS Anno 1576: ætatis 26. Marpurgi Professor Theologiæ declaratus, egregia pietatis ac eruditionis dona tum concionando tum profitendo, non modò Professoribus Collegis, sed ipsi etiam Landgravio LVDOVICO ita approbavit, ut eum cum amplissima commendatione ad Ducem VVirtembergicum remitteret, ac peteret, ut in ea Academia (Tubingensi nimirum) summo gradu doctrinae Theologiæ, quem Doctoratum vocant, ornaretur: in qua tantam eruditionis vim antea sibi comparasset.

Proinde, cum disputando, sacra cursim legendo, Professoribus omnibus, & in accuratiore examine Theologis potissimum præclarè satisfecisset, in Doctorem Theologum XVII. Calend. Augusti, eodem anno 76. unà cum Domino POLYCARPO IUSERO, (cui cum HVNNIO per omnem vitam haud minor, aut levior, atq; olim Davidi cum Ianathano intercessit fraternitas, & animorum indissolubilis conjunctio) solenniter promotus & renunciatus est: cum paucis antè mensibus, lectissimam Virginem ELEONORAM FELDERINAM, nunc viduam mœstissimam, in matrimonium duxisset.

Sic ergò HVNNIVS noster jam & maritus & Doctor Marpurgum reversus, in id summo studio incubuit, ut Spartã, quam nactus esset illustrè, magno cum Ecclesiæ & Academiae emolumento, egregiè exornaret.

Dux autem potissimam sunt virtutes, quæ in Doctore fideli ac industrio vel maximè commendantur: FIDELITAS nempe, quæ ^{ἀντιφθό} discipulos instruit: & PERSPICUITAS, quæ nõ obiter aut perfunctoriè, sed accuratè ac præmeditatè nõ obscure sed dilucidè rem suæ ma-

teriam

teriam propositam pertractat. Veriusque huius virtutis encomium, si quisquam alius, certè H U N N I U S noster sibi vindicat. Nam (quæ Fidelitatis nota potest esse maxima) in interpretandis S. literarum mysteriis, ad Auditorum captum sese accommodas, pro ea, quâ in tribus linguis excellebat peritia, primùm ipsa verba singularum phrasium, sensumque earum genuinum *παραφρασεως* reddebat, investigatis simul, & quasi reiectis rationibus & argumentis, quæ sub verbis aliqui simplicibus & contractis delitescabant: mox locorum communium sylvâ ex textu eruebat, obscuriores quidem, & in controversia positos, pro acerrimo, quo valebat iudicio, tum a pertis Scripturarum fundamentis amplius explicans & confirmans; tum à quibusvis hæreticorum strophis dexterimè vindicans. Porro, (quæ perspicuitatis virtus est) Methodi semel sibi præfixæ erat religiose observans: & in docendo verbis ac phrasibus utebatur non obscuris, & Elucidario quoquam indigentibus: sed puris, propriis, latinis, perspicuis: Compositione præterea tali, quæ neq, contractione orationis, aut verborum ambiguitate obscuritatem pareret: vel nimia prolixitate sententiam suspenderet, sive intellectum ac memoriam legentis turbaret: sed singulari quadam & arcana quasi verborum vi ac suavitate animos demulceret: ut haud incommodè illud Homeri de Nestore ad ipsum accommodari potuerit:

Τοῦ καὶ δὲ γλώσσης μέλιτι γλυκίων ῥέει ἀυδῆ.
*Cuius ab ore fluit vox melle liquenti
 Dulcior.*

Cæterùm quæ fortuna huiusmodi præclara Ecclesie lumina, plærumque comitari solet: ut quò insigniora dona in ipsis conspiciuntur, eò atrociores etiam hostes ac adversarios experiri necesse habeant: eandem sanè sortem H U N N I U S quoque noster, sua in statione vel maxime est expertus.

Quas enim, & quàm serias, quàmq; frequentes velitationes in Hassia, tam Cassellis, quàm Marburgi, iam cum clanculariis, iam cum apertis Sacramentariis subire coactus fuerit: quæ & quàm gravia certamina, ob divinissimum sanctissimūque Religionis Christianæ Articulū de Persona Christi, eiusq; ad dextram DEI sedentis adoranda Maiestate, fortiter sustinuerit: id D E O, conscio rerum omnium inspectori ac Iudici notum est: neque fugit hoc multos pios & cordatos homines.

Quibus

Quibus præterea malignis conatibus, & iniquis accusationibus, criminationibus, calumniis, tum doctrinam, tum personam HUNNII, nonnulli malevoli, Illustrissimis Hassiæ Principibus invisam exosamq; reddere studuerint: neq; illud obscurum mansit. Sed quæ singularis Dei est bonitas, quot Diabolus excitavit Adversarios; tot seruo suo Dominus victoriarum trophæa defixit. Nā unus HUNNIUS, quod admiratione dignum est, tanquam Hercules quidam Christianus, omnibus illis domandis monstris suffecit: invictissima illa Spiritus sancti clava, hoc est, Verbo DEI fretus: ut verè in ipso impletam fuerit, quod regius Prophetæ David, de Apostolis, eorundemque certaminibus ac victoriis olim cecinit: Transeunt per Vallem lachrymarum, fontes faciunt atq; effodiunt in ea, euntes de virtute in virtutem, de victoria in victoriam, ut appareat, quod DEUS sit in Sion.

psalm. 84, 7.
& 8.

Neque verò mei est instituti, Auditores, integram texere historiã machinationum atque consiliorum, quibus tum alii hæretici, tum cum primis Sacramentarii, adversus HUNNIUM, toto isto Ministerii & professionis Marpurgensis tempore, ad insaniam usq; tumultuati sunt. Sic enim non orationem, sed opus Iliade majus conscriberem. Unū tamen illud, haud opinor ingratum vobis molestumq; fuerit, si labores & certamina præcipua Herculis huius nostri, quæ paucorum annorum (sedecim nimirum) intervallo, Marpurgensi in Academia, fortiter exantlavit, tanquam in theatro quopiam spectanda vobis proposuero: labores certè & certamina, decem illis Herculeis multò sanctiora, multoque utiliora.

Ac primo quidem Professionis sexennio, præter privatas illas sed admodum serias cum gente Sacramentaria institutas velitationes, præter ordinarias etiam lectionum & Concionum operas, materias insuper è mediis Theologiæ nostræ penetrabilibus desumptas, easq; benè multas, disputationum publicarum loco proposuit, eo fine, ut in huiusmodi familiaribus συζητήσεσι, collatis utrimque sententiis, veritas magis magisque erueretur: & Theologiæ Studiosi ex Spiritus sancti *πνευματικῆ* idoneis instituerentur armis, quibus aliquando, si res postulet, uti possent contra latrunculos illos (hæreticos dico) qui DEO & Ecclesiæ pro gigantæa sua audacia bellum indicere minime verentur.

Anno Christi
1584. &
1585.

His ita domi quasi & privatim scèliciter gestis: in publicum tandè circa annum 1548. prodit HUNNIUS: non propria magis volun-

tate

tate persuasus, quàm aliorum importunitate adactus. Eo enim tempore primarii Sacramentariæ gentis Coryphæi, Danaus cum primis, Ursinus, Gravius, Pezelius, & alii complures, tot modis HVNNIUM provocarunt, tot iniuriis lacefferunt; ut si diutiùs siluisset, veritatis cerè defensionem deseruisse, imò eandem prodidisse meritò videri potuisset. Proindè rupto silentio, aureolos illos de persona Christi, eiusque ad dexteram DEI sedentis divina maiestate libellos, Sacramentariorum blasphemias opposuit: in quibus profectò HVNNIVS omne punctum tulisse, videri debet. Nam singulas & universas Calvinianorum Sophisticationes & argutias, quibus Christum hominem de Solio Majestatis divinæ, ad quod constitutus est, ausu nefario disturbare conantur, ita solidè confutavit, elisit, profligavit, ut jugulum causæ Sacramentariæ penitus fregerit, incideritque: & arduæ illius Controversiæ decisio, tam brevis, quàm solida, in qua doctissimus ac optimus quisque meritò acquiescere queat, meritò primitiis istis Hunnianis, secundum scripturas sacras, accepta sit ferenda.

Quin eodem tempore eosdem Sacramentarios ex alio latere adorsus est, edito Scripto Germanico de Altarium abrogatione, quo Calvinianorum sive *magisteria* sive *congregia* argutè detexit, piisq; e omnibus non tam ridendam quàm execrandam ob oculos constituit.

Porro Flacianorum etiam cohorti sacrum bellum indixit, libello eruditissimo edito de Substantia peccati originis: tum Orthodoxa Ecclesiarum nostrarum doctrina immotis Scripturarum fundamentis superstructâ, tum Adversariorum strophis dexterrimè confutatis.

Sed & alium laborem Annus iste peperit, nobilissimum nempe Commentarium in Evangelium Iohannis, illud nimirum Evangelium, quod Bibliorum sacrorum Epitomen, totiusque Theologiæ *κύριον* nominare haud immeritò quis possit.

Mox anno subsequenti 1586. Cyriacus Spangenbergius Hyperaspista & propugnator ille dogmatis Flaciani, HVNNIVM nostrum audacter provocavit, futili quodam libello, sub ficticio Candidi Sylvestri nomine, in vulgus publicato, & absurdorum Flacianorum patrociniò, sed frustra omnino, suscepto. Neque enim HVNNIVS palam subterfugit, sed impetum Adversarij ita fœliciter excepit, ita fortiter profligavit, ut neque hincere amplius ausus fuerit.

Eodem anno, partem alteram Gatechismi minoris B. Lutheri no-

D

stri,

Anno Christi
1586.

stri, duodecim Concionibus; Threnodiam verò Prophetæ Jeremiæ, septendecim Concionibus explicatam, juris fecit publici.

Quin laborem labore cumulans, duos etiam Commentarios longè utilissimos, cum Ecclesia Christi, communicavit: Priorem in epistola ad Hebræos, eam videlicet Epistolam, quæ doctrinæ de Christo in utroque Testamento tradita, Compendium quoddam meritò dici debet, quippè dulcissimum consensum Prophetarum in Veteri, & Evangelij in Novo Testamento, circa summum illud Caput fidei de Christo, eiusque officio Regio & Sacerdotali, ea perspicuitate explanans, ut hic velut in sacrarium Dei, & Sanctum Sanctorum fidei oculo introspicere, & geminos illos utriusque Testamenti Cherubim, versis ad verum atque unicum propitiatorium IESUM CHRISTUM vultibus, sese invicè elegantissima cōsensione intuentes, videre liceat.

Posteriores vero in Canonicam Iohannis, brevem quidem illam, sed accuratam Epitomen duorum illorum Capitum, quibus totus Christianismus continetur: Fidei nimirum in Christum, & Charitatis in proximum minime fictæ aut simulatæ.

Anno Christi
1578.

Annus proximè sequens octuagesimus septimus Scriptis variis HVNNII nostri, admodum fecundus fuit. Vno enim hoc anno prodierunt conciones in Daniele, in Obadiam, Ionam, Micheam, Haggai, Malachiam: Item commentarij in Epistolam ad Romanos; ad Ephesios, in posteriorem ad Thessalonicenses, ad Titum. Prodiit item eruditissima illa Oratio, quam de certitudine historiæ Biblicæ & sacre, ignitis Satanæ telis & tentationibus, quibus auctoritatem Scripturæ Sacre hostis iste HVNNIO suspectam reddere conabatur, magno Spiritu, magnaque fidei *παρρησια* conscriptam, opponere voluit.

Factum etiam, ut eodem anno, novitius quidam Sacramentarius, M. Iosephus Grabius, homo gnaviter impudens & audax, fretus auctoritate Præceptoris sui Christophori Pezelii, insignis illius, quondam Saxoniarum nostrarum, jam verò Bremensis Ecclesiæ Turbatoris, notationes quasdam ederet, libellis HVNNII de persona Christi, biennio antè publicatis, maledico certè Stylo oppositas. Haud enim dubitavit impudentissimus iste Magistellus, crassum illud mendacium, per Pezelium antè & Heidelbergenses de HVNNIO scurriliter sparsum, denuò reponere, & in universum Orbem Christianum audacter disseminare: dixisse HVNNIVM in Colloquio quodam (cui tamen

homo

homo iste levissimus non interfuit) dixisse inquam HVNNIVM, Christum non minus jacuisse in utero Herodiadis, quam in Divæ virginis Mariæ utero. Quin etiam minimè veritus fuit, sublimem illam doctrinam de persona Christi, & Omnipresentiæ Maiestate, Stylo ac ore plusquam blasphemio nominare horrendum ^{βδελυγμῶν} errorem vanum, impietatis commentum, nequissimum deliramentum, Dianam magnam, comitum meretriculam, idolum Ubiquitatis, Chimæram Ubiquitariam, fædum Diaboli oletum: aliisque horrendis convitijs & blasphemijs proscindere, ad quas Cælum ipsum contremiscere, vel certè terra exhorrescere, aut Elementa stupefcere omnia necessum haberent. Nimirum hæc est Calvinistarum modestia & mansuetudo, quam alioqui suis in scriptis & sermonibus, plenis quasi buccis subindè crepare solent. Hic certè non in utramque aurem indormiendum, sed pugnandum fuit HUNNIO: & quidem uni, adversus duos istos fumigantes titiones, ut Prophete verbis utar, Pezelium nempe, & Grabium. Et profectò pugnatum fuit felicissimè, vel unico illo yere aureo Commentario in Epistolam ad Ephesios, detectis, dirutis & everfis vanissimis illis Sophismatis, quibus caninum lividumque dentem non tam HUNNII scriptis infigere, quam CHRISTVM è solio Maiestatis deijcere, omni que gloria divina secundum carnem penitus extum, in cæterorum hominum classem & conditionem detrudere sacrilegè conati sunt.

Caterum ut in percensendis HVNNII laboribus progrediar, annus mox subsequens octuagesimus octavus, magnum illud & divinum opus, Postillam nempe Ecclesiasticam produxit, quam HVNNIVS, (ut accepimus) paucorum mensium intervallo conscripsit & absolvit: Opus certè tanti non modò laboris sed & Spiritus, ut plurima alia huius generis scripta longo post se intervallo relinquat.

Anno insequente 89. juris fecit publici Meditationes illas suas in viginti & unum capita Genesew, ea nimirum, quæ difficultatum salebris atque tricis capitibus reliquis videntur obscuriora. Quo eodem anno sublimem illum, & extra captum humani ingenij longissimè positum Articulum de adoranda & individua Trinitate, solidè ac perspicuè explicavit, ansam huic operi patrandò præbentibus duobus illis, de quibus modò dixi, sycophantis, Pezelio & Grabio. Hi enim ex sola, quæ pruriebant, criminandi libidine, sive scabie veriùs, publicè calumnia-

Anno Christi

1589.

batur, HVNNIVM multis parasangis propius ad Arianorum impietatem quam ad veritatem coelitus patefactam accedere: idque tam esse manifestum, ut ea quae oculis omnium sunt exposita: imò HVNNIVM, Arianis arma subministrare, & veritatem illis prode. Hic profectò evidentes iterum maximeq; necessarias causas habuit HVNNIVS de tot tamque horribilibus erroribus cum ipso salutis fundamento pugnantibus, sibiq; falsò impostis, non tam respondendi, quàm horribiles istas criminationes, solide à se, imò ab Ecclesiarum nostrarum doctrina depellendi. Haud inepee vero Pezelium cum manipulari suo Gratio HVNNIVS noster comparavit cum male feriatis illis incendiarijs, qui cum furtivum igne futuro incendio substraverunt, mox saeviente flamma, ut excitati mali culpam à se procul amoliantur non minus atque alij per plateas discursitant, inque autores tanti facinoris tragicè debachantur. Qui enim per Deum immortalem sunt illi, qui horrendis depravationibus illustrium scripturae testimoniorum, in quibus aeterna Christi Deitas fundata est, transitum parant, imò portas pandunt biparentes ad Arianæ impietatis castra? An non Calviniani? An nò ex istorum grege in distinctis orbis Europæi partibus, uno quod dicitur passu, ad Antitrinitarios transierunt plurimi? An non ex Schola Calvinii prodierunt illi, qui nostra & Patrum nostrorum aetate, Arianorum, Iudæorum, Mahometistarum Synagogis sese associarunt; Paulus Alciatus Mediolanensis, Valentinus, Gentilis Consentinus, Georgius Blandrata Saluciensis, Matthæus Gribaldus Iureconsultus: Lælius Zozinus, Petrus Statorius, Iohannes Sylvanus, Bernhardus Ochinus, Sebastianus Castellio, Franciscus Baldvinus, Erasmus Iohannes, Calparus Franck, Casparus Schoppius, & correluces alij, ut verè nimis Adamus Neuserus, qui & ipse istorum Classi accensendus est, ad Doctorem Gerlachium olim Constantinopoli scripserit: Nullus nostro tempore mihi notus, factus est Arianus, qui nò antea fuerit Calvinista: Igitur qui timet sibi, ne incidat in Arianismum, caveat sibi à Calvinismo.

Anno Christi
590.

Verum ad labores HVNNI redeo, qui nullis parcens sive laboribus sive molestijs, annum proximè insequentem nonagesimum, nobilitavit tribus distinctis longeque utilissimis operibus. Primum erat de Iustificatione hominis peccatoris gratuita: ubi profectò novis illis institoribus Romanæ Babylonis, Esavvitis nimirum graviter sese opposuit, illorum hypocrisin & detestandam hæresin ex verbo

Dei

Dei solida perspicuitate, perspicuaque soliditate nervosissimè refutavit, ut quantumvis Protei instar in omnes formas sese transmutent, novis subinde machinis, novis armis, novis excogitatis ratiunculis, novis conquisitis coloribus, figmentis, & pigmentis: tamen ad unum istum HVNNII tractatum, vel nullo alio admoto ariete, sua propria futilitate concidant.

Alterum opus hoc ipso anno patratum, erat de Sacrosancta Majestate, fide ac certitudine Scripturæ sacræ Prophetiæ & Apostolicæ, Veteris & Novi Testamenti. Opposuit verò istum laborem HVNNIVS gravi consilio partim variis Diaboli insidiis, quibus nunquam nõ Scripturæ sacræ veritatem, offusis densissimis dubitationum tenebris, obnubilare quoquo modo studet: ut quibus alioquin armis electi cunctas alias tentationes superant, ea è manibus, imò verò è cordibus ipsorum, simul & semel, uno velut ictu excutiat: partim verò improbis eorum conatibus, qui non tantùm Articulos nostræ Confessionis ausu nefario attentant: sed omninò Pyrrhonorum exemplo atque modo, in utramvis partem omnia disputare, gloriosum sibi ducunt, atque adeò ipsa principia Religionis Christianæ, quantumvis *αὐτόπιστοι καὶ ἀναπόδεικτοι*, in dubium vocare neutiquam perhorrescunt. Vtrisque istis hostibus Scripturarum, libellum hunc suum velut *ὄπλον ἀσκήν* sive armamentarium opponere voluit HVNNIVS, ex quo tela depromi possent & arma, quibus tum malignus ille tentator rectè superari, & spirituales eius astutiae foeliciter elidi: tum verò prophanorum ingeniorum temeritas validissime comprimi, & sic solida victoria in utraque palæstra ritè obtineri posset. Qui sanè vel unus HVNNII labor, Ecclesiam Dei, omnemque si qua futura est posteritatem, ad æternam gratitudinem sibi meritò devincit & obligat.

Tertium Scriptum quod hoc etiam anno evulgavit HVNNIVS, erat de Sacramentis Veteris & Novi Testamenti, tum in genere, tum in specie consideratis, Romanensium & Calvinianorum strophis ac Sophismatis, directè oppositum. Quod sanè opus, quantum commendationem apud pios & doctos quosque, jure suo mereatur, malo vos ipsos judicare, quàm me in tanta temporis angustia, insufficienter de eo verba facere. Noverunt, qui Controversiæ Sacramentariæ perplexitatem & amplitudinem, paulo altiùs cognitam perspectamque habent, quor & quam crassa ac spissà volumina de uno negotio sive certamine Eu-

charistico, à diversis in toto orbe Christiano sint edita, ut illis singulis evolvendis pellegendisque vix integrum decennium sufficere possit. At verò, quod citra cuiusquam injuriam dixerim, HVNNIVS noster, uno isto suo tractatu, eoque haud ita prolixo, universa ea, quæ hinc inde satis confusè dispersa diffusaque jacebant, ita argutè, ita breviter, adde etiam, (quod singularem meretur gratiã) ita Methodicè & perspicuè complexus est, ut hic rursus, omne tulisse punctum mihi videatur. Iudicet qui judicare potest, sed *ἀνευ ἀποδείξεως*.

Anno Christi
1591.

Ego ad annum 91. me confero, quo HVNNIVS bellum illud sacrum, quod adversus hostes veritatis foeliciter hætenus gessit, masculè continuavit: ac quidem Pontificios ad internecionem usque prostravit, in lucem emisso in comparabili illo, de Ecclesia, eiusq; capite, Tractatu: in quo uno articulo omnem aliàs victoriæ spem fixam illi locatamque habebant. Quin Sacramentarijs quoque schema sive larvam illam detraxit, quam ex Augustanæ Confessionis Augusto sanè elogio per manifestum crimen falsi, magnificè ostentare consueverunt. Demonstravit enim HVNNIVS, scripto longè nervosissimo hac de re edito, Calvinianos Augustanæ Confessionis *vinculos* sic appellatæ, socios nūquam fuisse, neque etiam nūm hodiè esse posse.

Anno Christi.
1592.

Anno proximo 92. Diabolus denuò Ezebolum illum Bremensen Christophorum Pezelium adversus HVNNIVM inflammavit, ut virulentissimum scriptum, HVNNII Tractatui de re Sacramentaria opponeret, & Illustrissimis Principibus Hassiæ Landgravijs inscriberet: ut sic quã posset ratione, & personæ & doctrinæ HVNNII odium ac inviam conciliaret. Quem improbum Pezelij, vel ipsius potius Diaboli conatum, antevertens DOMINVS, sic HVNNIO vires corporis, ingenij ac judicij confirmavit, ut haud citiùs scriptum illud, vel typis integrum describeretur, vel principibus exhiberetur, quàm HVNNIVS noster jam modò vanissima Pezelii mendacia, & impudentissimas criminationes, imò crassissima crimina falsi, in conspectu totius Ecclesiæ CHRISTI solidissimè refutasset, editã in lucem invicta illa Assertionè sanæ & Orthodoxæ doctrinæ, de persona & maiestate Domini nostri IESU CHRISTI, ad dextram virtutis & omnipotentia Dei, secundum assumptam carnem eveci.

Erat

Erat tum temporis miserrima facies Electoratus huius Saxonici, tristem omnino & luctuosam Tragediam, in Ecclesiis & Scholis istarum regionum per maleferiatos quosdam Sacramentarios, cum primis per Urbanum Fierium, Salmuthum, Gundermannum, Kimedontium, & reliquos huius rancidæ farinae homines, excitante & agente Diabolo. Vidisses enim tum officiis & dignitatibus suis deturbatos, qui in conservando propagandoque purioris Religionis Lutheranae sacrosancto deposito, præstiterunt plurimum. Vidisses in istorum locum per fas nefasque susceptos homines novos, temerarios, versipelles, nec sibi ipsi, nec Republicæ utiles, Theologos cum primis partim manifestos veritatis hostes, Calvinismum alibi professos: partim Crypto-Calvinistas, qui exierant quidem à nobis, sed non erant ex nobis. Vidisses optimum Principem & Electorem CHRISTIANVM. I. laudatissimæ beatissimæque memoriæ, vafri tum Politicorum quorundam, tum Theologorum consilijs & dolis astute circumveniri, & turpissimè decipi. Audivisses tum puriores & Orthodoxos Theologos proclamari Flacianos, Ubiquitistas, Capernaitas, Eutychianos, Nestorianos, Semipapistas, Exorcistas, Clamantes, Asinos, Canes: imò uno verbo ut comprehendam omnia, vidisses tum haberi illos pro *περιπατάζοντες ὡς κριεψίμα* *τα*, pro purgamentis & sordibus, ut alicubi noster Paulus loquitur. Audivisses horrenda dicta audituque convitia, dicteria, execrationes, contumelias, scômata, anathemata, & quidem impunè projici in eos, qui ad cælestem ac Triumphantem Ecclesiam iam erant recepti. Audivisses beatam illam animam, LUTHERVM dico, nò nisi Germanicum MARTINVM, turbulentum & rigidum Pfaffum appellari: imò vidisses huius imaginem depictam, in quodam convivio à SALMVTHO Ecclesie huius Diacono Calvinista, vitro cerevisia pleno scurriliter peti, & probris alijs affici. Audivisses auream illam Christianæ Concordiæ Formulam, paucis antè annis, incredibili studio, sumtibus immensis, nunquam satis laudati Electoris AUGUSTI, beatissimæ itidem memoriæ, conscriptam & publicatam, tanquam monstrum aliquod horrendum, tanquam Pandoram plenam crassissimorum errorum, ex agro & finibus Electoratus huius ejici, proseribi, profligari, & ex manibus docentium ac discipulorum excuti. Audivisses criminis læsæ Maiestatis reum peragi eum, qui vel ex hac Cathedra, vel ex suggestu, Sacramentariorum nomen vel nudè protulisset. Audivisses Confessionem Augustanam, primam illam,

minimeque variatam, sed dissimularum hæreseon publicè insimulari: imò Codici Iustiniano multis parasangis postponi, usque adeò, ut quidam, nescio majorène impudentia an blasphemia, effutire haud dubitaverint, Doctrinam Religionis Christianæ plenius & planius in Codice Iustiniano, quàm Augustana Confessione comprehensam esse. Audivisses de Maiestate CHRISTI hominis voces impias: de absoluto verò quopiã, omnesque causas antegrediente prædestinationis decreto, & Reprobationis absoluto itidem immutabilique fato, portenta nefando quidem ante hac audita: deque reliquis primariis Religionis Christianæ Articulis, prodigiosè absurda & blasphema dogmata, in hac ipsa Cathedra Lutheri (ô rem nefandam, & ultricibus inferorum flammis vindicandam) liberè & impunè spargi ac disseminari. Audivisses deniq; (quis enim malorum tum grassantium Iliada vel percensendo saltem assequi valeat) audivisses inquam & vidisses, nihil moderatè, nihil candidè, nihil tranquille geri ab iis qui Calvinismum volebant incruentatam: nihilque vel in Religione ita sacrum, vel in cceremoniis ita concinnum, vel in politia tum civili tum Ecclesiastica ita approbatum fuisse, quod illi homines non pro libitu convellere, prophanare, excindere, laudi sibi duxerint.

Verùm *ἀπὸ μνησθέν* medicinam tanto malo, acerbam quidem & satis duram, sed rempestivam tamen, pro arcano voluntatis suæ concilio Cœlestis Pater attulit, obeunte, sed præmatura, proh dolor, morte obeunte, diem suum Heroë illo CHRISTIANO I. Electore Saxonie laudatissimæ sanctissimæque memoriæ: cuius facilitate vel potius Germana ingenuitate homines illi turpiter abusi, Principem ipsum multis modis deceperunt: & sic Ecclesiam, Rempublicam ac Scholam, improbè perdidierunt. Sic ergò miserando hoc fato, DEVS ipse Ecclesie suæ patrociniū suscipiens, hostes istos singulos & universos fudit, confudit, & liberationem populo suo & Ecclesie exoptatissimam præstitit: Electoratus huius Administratione legitime devoluta, ad Religiosissimum Principem ac Dn. Dn. FRIDERICVM VVILHELMUM, Ducem Saxonie, &c. Augustæ & sanctæ recordationis Principem. Hic enim tanquàm alter sive Hiskias sive Iosias cura ingenti, impensis maximis, labore inmensò Reformationem Electoratus huius mox cepit moliri sanctissimam. Quod arduum opus, ut pie graviterque perageretur, præter alios Theologos & autoritate præstan-

tes,

tes, & doctrinae puritate insignes, celsitudo ipsius, HVNNIVM quoque nostrum, cuius laus & fama jam modò totum orbem Europæum pervagata erat, Marpurgo evocari curavit, evocatumque vel tandem, licet ægrè, annuente Illustrissimo Hassiæ Landgravio LVDUICO: indulgente etiam Illustrissimo Principe LVDUICO, Duce VVirtembergico impetravit.

Sic ergò venit HVNNIVS, & venit felici omninò fidere VVitebergam, anno, quem supra nominavimus, nonagesimo secundo supra sesquimillesimum: constitutus Professor Theologiæ primarius, Templique arcis præpositus, ut & Consistorij Ecclesiastici assessor dignissimus, vigilantissimus.

Instituebatur autem tum temporis, uti modò dicere ceperam, mandato Incltyti Proelectoris, consensu etiam Ecclesiæ & provincialium, acris omninò exploratio Religionis subditorum, eorum cum primis, quorum falsam atque hæreticam esse fidem, suspicio haud levis erat. Hanc ad rem laudabiliter ac cum emolumento Ecclesiæ perficiendâ, aptus etiam ac idoneus iudicatus fuit HVNNIVS noster. Constabat enim de singulari eius tum animi gravitate, tum iudicij dexteritate, quâ recessus animorum explorare strophasque hominum *ερεβλῶν* facile agnoscere poterat: constabat de Zelo pietatis, de scientia rerum Theologicarum eximia, de facultate *εξηγητικῇ*, quâ poterat cum moderatione debita, vel flectere errantes ex simplicitate: vel confundere eos, qui in pertinaciam erroris animos suos obfirmarant. Incredibile verò est, quanta fide, quanto studio, quanta dexteritate munus hoc sibi delegatum obierit, quàm circumspectus in consulendo, quàm fidelis in monendo, quàm diligens in informando, quàm severus in reprehendendo fuerit: ut vel hoc nomine Ecclesiæ huius Electoratus sibi plurimum devinzerit, & obligaverit.

Quid verò jam dicam de ea fide, quam peractâ visitatione, ad labores vocationis proprios reversus, Illustrissimæ domui Saxonicæ, & Ecclesiæ atque Academiae huic nostræ abundè satis toto reliquo vitæ curriculum probavit. Deum immortalem quàm in universas occasiones intentus erat, ut tanquàm fidelissimus dispensator mysteriorum Dei, doctrinâ Evangelij puriorem spargeret, & ab hæreticorum strophis vindicaret. Nihil certè prius, nihil antiquius, nihil uspiam sibi vel optatus duxit vel gloriosius, quàm ut tum docendo tum scribendo purita-

tem Cœlestis doctrinæ longè lateque propagaret. Atque ut id fieret, nullis laboribus, nullis molestijs nullis obiectis difficultatibus, se retardari avocarique passus est.

Sed ut silentio nunc involvam labores eos quos apud nos tùm in Academia, tùm in Templo, decennio hoc proximo HVNNIUS præclarè sustinuit, & quorum Spiritu hæc adhuc Cathedra calere mihi videtur: vel eas tantum res, quas in publico totius Ecclesiæ conspectu, non tam hîc, quàm extra Electoratum istum præclarissimè gessit, paucis contemplari, bona vestra venia liceat.

Anno Christi
1593,

Anno igitur mox subsequente. 93. indicebantur Comitia Ratisbonæ celebranda, ad quæ Illustrissimus Dux Saxonæ FRIDERICUS VVILHELMVS, tùm Electoratus Saxonici Administrator, nunc Cœli Princeps beatissimus abiturus, HVNNIVM sibi tanquam fidum *παρὰς ἑστῆν* adiungere voluit. Quid verò ibi in puncto Religionis inter nostros cum primis & Calvinianos actum disceptatumque sit, fortè neminem vestrum latebit.

Certè quòd hominum Sacramentariorum technæ, fraudes & imposturæ, quibus sub Augustanæ Confessionis Symbolo, Calviniano suo dogmati latibulum admodum sollicitè quærebant, in lucem fuerunt protractæ, & immotis rationibus Ordinibus Imperij ostensum, Augustanæ Confessionis, *γινώσκω* sic appellatæ (nam variata illa, neque Augustum, neque Carolum V. vidit unquam) cum Calvinianorum doctrina, nihil prorsus esse commercij, illud HUNNII potissimum vigilantia, & industriæ est adscribendum. Neque verò quominus externo publicæ pacis bono unâ nobiscum in Imperio frui liceret Calvinianis, vel HUNNIVS restitit, vel alij Orthodoxi unquam sunt reluctati: uti gens Sacramentaria, & in hac cum primis Embdenses audaciter calumniari sunt soliti. Potuerunt certè per HVNNIVM, imò possunt hodieque etiam per nos Calviniani eodem, uti frui jure, quo hodie in Imperio utuntur fruuntur Iudæi, Anabaptistæ, Schwencckfeldiani, & alii fanatici. Caterùm ut hoc fiat cum Augustanæ Confessionis jacturâ, & vel hoc pacto, (quod astutè quæerunt isti homines) sub Augusto Symboli huius prætextu, erroneum suum dogma, in detrimentum Ecclesiarum nostrarum, inque fraudem veritatis quam profiteamur, latius atque longiùs, imò tutius etiam disseminare queant: illud neque HVNNIVS tùm permittere voluit, imò nec potuit quidem, nisi libertatem

&

& privilegia Ecclesiarum Lutheranarum prodidisse videri voluisset: neque permittet id unquam, pius qui est, & cui Ecclesiae ac purioris Religionis salus atque tranquillitas curae cordique fuerit. Ringatur interim, & medius si velit, crepet larvatus ille Rabula Antonius Benbello-na de Godentijs, vel qui idem ille est, Bernhardinus de S. Georgio: homo ita gnaviter impudens & audax, ut per fabulosam quandam narrationem, acta istorum Comitiorum, quoad praesentem quaestionem adulterare haud dubitaverit. Quem ego hominem, per aeternam salutem obtestor, si porro hisce de rebus scriptionem instituire velit, ut, si non homines reveretur, saltem meminerit, in Coelis esse Deum aliquem, qui haec universa vindice oculo cominus intueatur, cognoscat, & ad tremendae severitatis tribunal aliquando revocaturus, ac cuique secundum opera sua daturus sit. Sed hac de re alibi fortassis fufius: Nunc cum HUNNIO ad alia progrediamur.

Anno igitur eodem laudatissimus princeps FRIDERICVS IV. Lignicensium & Brigenfium in Silesia Dux beatissimae recordationis, animadversis dolis, fraudibus & machinationibus, quibus tum clancularij quidam Calviniani, tum vero & cum primis Leonhartus Krentzheimius, Lignicensium quondam Superintendens, veneno Sacramentario, clam Ecclesias suae fidei inspectionique commissas inficere, ac sacrosanctum purioris Religionis *κειμήλιον* miris artibus ac fraudibus obscurare, corrumpere, impedire, ac in fenum prorsus dissipare studuit: HUNNII potissimum nostri opera ac studio usus, Ecclesiarum Lignicensium per Silesiam Reformationem suscepit, imò perfecit longe saluberrimam. Expertus est tum Grex Calvinianus, & in eo praecipue Krentzheimius Spiritum HVNNII nostri, Spiritum certe talem, cui ipse nullo quaesito colore, licet in formas omnes Protei instar sese transmutaret, resistere tamen potuit: quin potius convictum sese confusumque confiteri necesse habuit. Erat Krentzheimius iste hostis acerrimus, & osor insensissimus illius doctrinae, quam de communicatione Maiestatis divinae, factae assumptae humanitati Christi, purior Ecclesia ex fontibus Israelis haurit, tenet, defendit, propagat. Proinde ex hac potissimum parte ulcus Sacramentarium tangere voluit HVNNIVS, quaerens ex Krentzheimio: Num Christus secundum utramque naturam, & sic secundum humanam quoque, sed in persona Christi, sit adorandus? Respondente vero Krentzheimio Affirmate, pergebat

H V N N I V S, interrogando : Nùm Christus secundum utramque naturam invocatus, sciat & noverit se invocari, & sic secundum humanam etiam naturam, perspectas cognitasque habeat cogitationes, gemitus, suspiria invocantium ? Siquidem ridiculum, vel certè infrugiterum foret, invocare eum, qui quod petis & desideras, ipse ignoret, vel certè non intelligat. Ibi Krentzheimius vel propria sua Responsione convictum se constrictumque sentiens, H U N N I O respondere ad interrogata amplius noluit : sed ad suos asseclas conversus dixit : Ille vult me capere. Sic est mi Krentzheimi, non voluit modò H V N N I V S te capere : sed ita te verè cepit, ita laqueo erroris te irretitum, singulis spectandum præbuit : ut totus obmutesceres, & quid contra mutires haud uspiam invenires, licet omnes sarcinas, omnesque loculos Calvinianæ Theologiæ ad fundum usque excuteres. Verùm & isthæc ex actis Lignicensibus jam pridem editis plenius cognoscere licebit.

Anno eodem Calvinum Judaizantem scripsit & evulgavit H U N N I U S, provocatus potissimùm à Davide Parco Silesio, Theologo & Professore Calviniano Heidelbergensi, qui in præfatione quapiam, atro virulentæ sale perfusa, ac venenatis maledicentiæ aculeis infecta, H U N N I tractatum de Trinitate, eidemque præmissam Præfationem, illis annumerare haud dubitavit, qui συκοφαντικὰς scriptiones evulgare consueverunt : simul operosa admodùm Apologia pro Johanne Calvino instituta. Sic ergò provocatus H U N N I U S, palæstram rursus minimè defugit : sed eo, quem diximus, publicato libro in facie & conspectu Catholicæ Ecclesiæ Dei ad oculos demonstravit, Johannem Calvinum, Sacramentariorum nostri seculi antesignanum, bene multa Scripturarum loca, æternam Deitatem Christi confirmantia, glossis impiis, retrisque corruptelis ad suam & aliorum perniciem, à genuino sanoque sensu horribiliter detorsisse, iisdemque caliginem Iudaicam offudisse : & vel hoc pacto, non sine manifesta veritatis prodicione, tela illa & arma Spiritus sancti, quibus tum Iudaicam infidelitatem, tum Arianam impietatem Orthodoxi fortissimè profligabant & retundebant, strophis suis hebetasse, inutiliaque reddidisse.

Sed ad annum sequentem 94. me convertito. Hic verò est ille annus, quo is à Serenissima Celsissimaque principe ac Domina, Domina

Anno Christi

94.

SO.

SOPHIA, Illustrissimi Herois ac Principis CHRISTIANI I. Electoris Saxoniae, laudatissimae recordationis vidua, Domina nostra Clementissima, insignis ille Theologus, & de Ecclesia ac Schola hac optime meritus, merensq; quotidie, Doctor POLYCARPUS LYSERVS, in locum Doctoris MARTINI MIRI pie defuncti, Dresdam evocatus fuit. Vacabat ergo jam ex istius discessu apud nos munus Superintendētis, & quidem vacabat anuum integrum: cuius interim operæ HUNNIO (licet nondum ad hoc officium vocato) ratione successionis in Collegio Facultatis incumbēbant: donec tandem Anno 95. vocāte Senatu Academico & Oppidano, eamq; vocationem ratā habente inclyto Domino Proelectore: accedente simul clementi concessione Illustrissimi Principis ac Domini, Domini FRIDERICI Ducis VVirtembergici &c: Pastor ac Superintendens Ecclesiae nostrae VVitebergensis legitime constitutus fuit. Cuius sanè muneris (ut illud Ciceronis de Consulatu alicubi proditum elogium huc accommodem) magnum nomen, magna species, magna dignitas, magna maiestas, quam non angusta capiunt pectora, non animi egestas aut ingenii sustinet. Opus hic vigilantia & curā incredibili: consilio magno: fide egregia: insigni gravitate: circumspēctione provida: ne quid vel detrimenti vel confusionis Ecclesia capiat. Hæc omnia miseris istis & conclamatis fermè temporibus longè graviora fiunt. Quanta verò fide & industria, quanta dexteritate, quanta circūspēctione provinciam hanc administraverit HVNNIVS: quanto studio Ecclesiae huius commodum ac dignitatem curaverit. periculum esset, ne famæ ac meritis tanti viri prævaricaret, si de eo verbū in hac temporis angustia auderem: cū vel integram Orationem hæc res desideret.

Vos, vos ego appello Collegas, vos Appello Diaconos, vos appello cives Academicos & Oppidanos, ecquid unquam fidei, candoris, studii in HVNNIO desiderastis? Ingemiscere mihi videmini, & amissum repetere. Sed ò inanes nostras cogitationes? ò fallacem hominum spem? ò lubrica vitæ humanæ curricula? Habuimus HUNNIUM, & Habuimus quidem paucis admodum annis, ut mōstrare eum magis, quàm diutiùs fruendum concedere voluerit DOMINVS, justo certè iudicio, quod nos admirari magis, quàm rimari decet.

Verū à querelis istis ad HVNNII res gestas redeo. Anno igitur eodē in nervum demum verè erupit infelix istud incendium, quod præce-

dente anno gliscebat adhuc, de universali prædestinatione, sive Electi-
one propriè sic dicta ad salutem, tam incredulorum, quam credenti-
um, inque fide perseverantium: flammam contentionis & incendii fo-
diente Doctore Samuele Hubero, homine *ιδιογνώμονι*. Quod profecto
incendium, quò minus mox in primis favillis sopiretur, neque per
HVNNIVM, neque per Collegas reliquos stetit: Sed nativa potius ho-
minis illius intemperies, mediis ac remediis consiliisq; sanioribus lo-
cum omnem interceptit. Qualem verò & quam fidem purioris doctri-
næ Hyperaspisten, adversus inanes Huberi *φλυαρίας*, sese hoc tempore
præstiterit HUNNIUS, & partim monendo, partim scribendo, er-
rantem Huberum in viam revocare studuerit: res ipsa, quod aiunt, lo-
quitur, & monumenta hæc de controversia benè multa edita, cum pri-
mis verò aureus ille tractatus HUNNI de providentia & prædesti-
natione filiorum Dei, satis luculenter testantur. Utinam verò Deus ad-
huc hominis istius misereatur, eamque ipsi largiatur gratiam, ut cras-
sum errorem verè agnoscere, agnitū seriò in conspectu totius Ortho-
doxæ Ecclesiæ deprecari: & sic tanquam ovis perditæ, ad ovile Christi
aggredi queat: Quod ut fiat, faxit Altissimus.

Dissidio hoc per remotionem Huberi aliquatenus composito, aliã
mox ratione & fermè periculosiore Ecclesiæ pacem ac tranquillitatem
concutere, & si fieri potuisset, penitus evertere studuit Diabolus.

Anno Christi
1597.

Prodiit enim Anno insequente 97. Epistola quædam, Lichæ primū,
postmodum Servestæ Anhaltinorum impressa, & prodiit quidem sub
nomine cuiusdam Doctoris Theologi, qui ante hæc sæpius, tum in
VVirtēbergensium, tum nostratium Theologorum scripta, disputati-
ones, conciones virgulam censoriã, sed minus candidè sibi sumserat.
In simulabatur in Epistola illa primum quidè Liber Christianæ Cõcor-
diæ nescio cuius periculosa sive mutilationis sive mutationis: deinde
verò HUNNIUS & alij Orthodoxi Theologi, atrocissimorū errorū,
quos quidè in primarijs Religionis Christianæ Articulis, de Cœna Do-
mini, de Persona Christi, de Baptismo, de Libero Arbitrio & de æterna
Prædestinatione, clam in scio Magistratu supremo spargant & dissemi-
nent. Quib. sane modis provocatus HVNNIVS, vel tandè licet invito
prodiit, & utramq; impudentissimam calumniam, gemino scripto,
tum à Libro Concordiæ, tum à se ita masculè, ita solidè amolitus est,
ut bono cuilibet, & *ἀνευ παρασκευῆς* judicanti abunde satisfecerit.

Circa

Circà idem tempus, pauci quidam Calviniano Spiritu inflati, homines alioquin obscuro, improbe abusi Principis sui nimia facilitate novam quandam Reformationem (deformationem verius) Ecclesiarum Anhaltinarum, Spiritu prorsus Carolstadiano susceperunt, demoliedo Altaria, extirpando imagines, dejiciendo organa Musica, removendo hostias, circà actionem Eucharisticam usitatas, & substituendo panem alium communem fermentatum, inque frustra oblonga dissectum: abrogando denique Ceremonias alias, hactenus in illis Ecclesijs, sine ullo superstitionis sive periculo sive inditio, pie observatas. Et profecto licuisset per nos istis hominibus sic excolare culicem & deglutire camelum: nisi pro innato superbiae & πολυπραγμοσύνης studio, stylum, multorum convitiarum veneno tinctum in nostras quoque Ecclesias convertissent, easque plurimarum horribilium tum Papisticarum, tum Ethnicarum etiam superstitionum reas peragere, inque foro totius Ecclesiae proclamare ausi fuissent. Hic certe neque HVNNIO, neque nobis Collegis, in aurem indormiendum, sed pugnandum fuit, ut turpis isthaec aspergo ab Ecclesijs nostris abstergeretur. Qua in parte quid rursus praestiterit HVNNIVS, degeneres nostri vicini magno cum dispendio suae Reformationis, probe experti sunt.

Sed neque sic quies concedebatur HVNNIO nostro, quin sequente anno ex Palatinatu sese proripiebat denuò David Pareus, & Calvini sui patrocinium (sed irritò conatu) suscipiens, scriptum adversus HVNNIVS edebat satis prolixum, partim convitijs & calumnijs exquisitissimis refertum, partim eo directum, ut persuaderet hominibus (haud aliter ac si fungi, stipites & caudices essent) Calvinum quod scripsit, non scripsisse. Quam veteratoriam *κυβισμὸν καὶ πανουργίαν πρὸς τὴν μεθόδον τῆς ἀλάνης*, ut Apostolus noster loquitur, HVNNIVS duobus vicissim libris egregie detexit, dexterissime elisit, solidissime profligavit: ita ut sacrum omninò silentiū Pareus sibi hactenus indicere, quam tanta cum jactura famae & doctrinae Calvinismi, denuò in theatrum prodire maluerit.

Prodiit eodem anno 99. liber quidam Calvinisticus Staffurti impressus, & prodiit quidem sub illustri nomine Generosissimi Principis ac Domini, Domini ERNESTI FRIDERICI, Marchionis Badensis & Hochbergensis &c: qui partim Symbolum Christianae Concordiae nescio quorum paradoxorum in simulavit, partim verò universos

errores

errores gentis Sacramentariæ de Cœna Domini, de Persona Christi, de Libero Arbitrio, & æterna Prædestinatione, de Baptismo, novis pictoribus coloribus reposuit ac recoxit: eo fine ut autoritatem libri Concordiæ quibus posset modis, convellet, imo penitus everteret. Quibus improbis Autorum libri istius conatibus, HVNNI VS subsequente Anno Refutationem opposuit, in qua Orthodoxi qui que omnino acquiescunt: imò in qua acquiescerent ipsi quoque Adversarii, nisi cauteriatam haberent conscientiam, & sua sibi sponte oculos perstringerent.

Circà idem tempus, appropinquantibus jam Romani Pontificis Clementis VIII. nundinis, ad annum tùm instantem millesimum sexcentum sinum Romæ celebrandis. Robertus Bellarminus ex Esavvita, singulari Pontificis dispensatione, Cardinalis factus, libris duobus evulgatis, obsoletas illas & rancidas merces Papales, Romanas dico indulgètiis prius à B. Luthero nostro, cum omnibus intestinis, ut Poëta noster nuper argutè cecinit, sepultas, mirificè pingere, orbiq; Christiano commendare non erubuit, ut vel hoc pacto nundinas instantes celebriores frequentioresq; redderet. At verò HVNNI VS noster, pro zelo exarsit adversus Sinonias istas fraudes, imposturas, artes, aucupia, compendia, tendiculas, quibus in universis Ecclesiæ Christianæ regnis, locis atq; angulis, Romanus Pontifex olim negotiatus fuit, & laxo nimium reti, tanquam supremus pecuniarum Piscator, venius dixerim, furum omnium, quos Orbis universus unquã habuit, hodieq; habet, & habiturus est. Imperator, thesauros & opes mundi ad se pertraxit: iusto in quã adversus artes istas Sinonias zelo incensus HVNNI VS, Tractatum vere nobilem conscripsit de Indulgentiis & Iubilæo Romani Pontificis: evidentissimè demonstrans, in Curia & Ecclesia Romana, tanquam Apocalyptica illa Babylone, & huius adamato sponso Pontifice, & jam quoq; in Clemente VIII. ad amissim esse completum, quod ante quindecim secula, Spiritus sanctus per os atq; calamum B. Iohannis, sub typo mysticæ nundinationis, capitibus 13. 17. & 18. Apocalypsis prædixit: quod idem prænunciavit D. Petrus, fore Pseudopphetas, qui fictitiis sermonibus per avaritiam negotiaturi sint de hominibus. Et quanquam Esavviticæ societatis coniurata factio per Apostatam quendam, hominem novstium, nervos omnes intendit, & certatim vires universas huc contulit, ut vulnus letale ab HVNNIO, Romano Pontifici, eiusdemq; nundinationi infli-

2. Pet. 2.

ctum,

ctum, quoquo modo sanaret: irritus tamen & iste conatus, Dei beneficio, fuit deprehensus.

Excepit ventilationem istam, biennio post Deliberatio illa, quæ inter Christianissimum Principem PHILIPPUM LUDOVICUM, Comitem Palatinum: & Illustrissimum Principem MAXIMILIANUM Ducem Bavariae pio consilio fuit suscepta, de colloquio aliquo inter Lutheranos & Pontificios brevi instituendo. Incredibile autem est, quam fuerit frequens, quamque insolens apud Adversarios sermo de futuro Colloquio: quanto per se sermonibus juxta & publicis scriptis celebratum illud colloquendi institutum, tanquam omnium convenientissimum medium ad extirpandam Lutheranam hæresin, (uti illi quidem doctrinam cœlestem Pontificijs dogmatis adversantem appellitant:) ita ut propè nihil aliud Esavvitis, ut & Apostatae Iohanni Pistorio in ore & calamo esset, quam Colloquium Colloquium, Disputatio Disputatio. Hinc immanes illæ provocationes, quod scriptitabant, si nostrates sint cordati viri, congregiantur & pedem contra ferant. Iactare quoque solebant, non tantum esse nostris vel animi, vel fiduciæ, ut inire disputationem publicam audeant. Minabantur etiam, quibus modis nostrates excipere velint: velle se illos tanquam rudes ex inferiore aliqua classe Scholasticos, primo statim congressu, totis quod ajunt castris exuere, adeoque viros capere. Itaque jam tùm erat in illorum manu victoria, antequam ad conflictum res devenisset. Sed verè *αὐτὸν νικῶν τὴν μάχην.*

Nam suaves istas & thraſonicas de colloquio speculationes, contrario planè & insperato eventu terminatas esse: & conceptas spes optimas, in spongiam, quod dicitur, incubuisse: magna cum ignominia Ordinis sui, hodieque perſentiscunt Esavvitæ. Experti enim sunt, postquam res ad conflictum devenit, & in arenam descensum fuit, qui & quantus vir esset HVNNIVS noster, quâ animi fortitudine, quâ fide: quo spiritu Cœlestem veritatem, adversus impia Romanæ Pseudo-Catholicæ Ecclesiæ placita, imo adversus portas infernales asseruerit: ita ut nonnullis quoque ex Pontificijs HVNNIVS admirationi fuerit.

Non dubito ad vestram provocare conscientiam Esavvitæ: dicite, si viri boni estis, eequem aculeum cauteriatis vestris animis HVNNIVS infixit? Quid tibi quaeso animi est HVNGERE, qui ad HVNNII

Vide Hunnij
AntiTanne-
rum.

spiritum, vel altera mox sessione totus obmutuisti: usque adeò, ut nec deinceps spiritum animumque resumere potueris? Quid tibi animi est GRETSERE, qui HVNNII rationes & argumenta, ex armamentario Spiritus Sancti petita, usque adeò ferre non potuisti, ut, dum quod ad rem responderes, tibi non succurreret, malueris blasphemum tuum os in Cœlum ponere, & per inauditam antehac (sed tamen tripode Esavviticâ perquàm dignam) impietatem iterum atque iterum, ingeminare: Spiritus Sanctus non potest, non potest, non potest me per scripturam judicare: Age veniat Spiritus Sanctus, judicet me, si potest, per Scripturam, & dicat, GRETSERE erras. Parce tu mihi, Deus optime, blasphemias istas referenti: macie verò audacia GRETSERE, sic ibis ad astra: Breve, crede mihi, restat spatium, quo Spiritus Sanctus per Scripturam, Te non modo hæreticum proclamabit: Sed & mercedem impietatis istius tibi persolvat eam, quæ notata ac descripta est, Apocal. 14. his verbis: Bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure, non igne purgatorio, quem ignorat Iohannes, sed igni gehennæ inextinguibili, in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni: & fumus tormentorum ascendet in secula seculorum.

Apocal. 14, 10.
Cap. 11.

Sed ad te Tannere venio, quid tibi quæso animi est de HVNNIO. Scio te victum ab eo esse vix fateberis: Nam Stentorea tua voce, haud secus ac Pyrgopolynices ille apud Plautum, vel uno Spiritu universas Lutheranorum legiones diffilare te posse, somniabas. Neque verò mihi vel animus est, vel præsentis instituti ratio permittit, operosius demonstrare, quàm turpem te in palæstra Ratisbonensi dederis, dum præter informem illam tuam Formam, quam subinde ad rabiem usque occlamabas, quod responderes ad rem, nusquam inveniebas. Ad Acta Colloquij te ablegatum volo: illa contemplare accuratius: indè patebit, uter victor abierit. Sed iam pridem de eo in conscientia convictus es, ut vel proprio indicio foricum instar, morsum & stimulum conscientie prodere necesse habueris. Cur enim obsecro tam sollicitè cum tuis gregalibus hætenus cavisti, ut ne Colloquij Protocolium, etiam illud quod Monaci est impressum, sine tua egregia illa Relatione, pluribus mendaciis quàm verbis constante, cuiquàm divenderetur? certissimo nimirum indicio, quod à Protocollo solitariè

inter

inter vestros homines sparso & lecto, tibi quã vehementissimè metuas.

Sed ad H V N N I U M redeo, cuius quanta in Colloquio isto fuerit dexteritas, quanta animositas, quanta fides, quanta Religio: jam pridem orbem Christianum universum percrebuit. Quis enim Esav vitis ita detraxit leoninam illam, in quam asini illi Cumani sese abdiderant, ut multis antea formidabiles visi, jam ob scdissimè administratum munus suum rideantur à nostris, & vilescant apud suos? Quis inquam hoc præstitit? H U N N I U S. Quis detexit extremam istorum hominum impietatem, per blasphemias, quas in scripturam & Spiritum sanctum eructare nihil exhorruerunt? H V N N I V S: Quis detexit illorum inconstantiam, per antilogias & contradictiones frequentissimas? H U N N I V S: Quis detexit profligatam istorum Absurditatem, effutitis eiusmodi paradoxis, quorum aliqua ne Pontificijs quidem Doctoribus probari certum est? H V N N I V S: Quis denique ex veris & immotis fundamentis, gladio Spiritus nempè verbo Dei scripto, bestias illas atque furias, Esavvitas dico, per immensam Dei gratiam, debellavit, atque sic domuit, ut haud ita facilè denuò in arenam sint descensuri? H V N N I V S.

Admirantur historici Alexandri Magni res gestas, quòd duodecim annorum spatio, totum penè Orbem terrarum debellavit & subegit: suspiciunt profani Scriptores Iulium Cæsarem, quòd quinquagies cum hostibus signa cõtulit, & victor fermè semper evasit, adeo ut lumen illud Eloquentiæ, M. Tullius, ei acclamare non dubitaverit: Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: Laudant & in Cælum usque dignis laudibus evehunt historici, Imperatorem H E I N R I C V M I V. quòd sexagies bis cum hostibus sclicissimè congressus. Verù si H U N N I I nostri labores, studia, certamina, victorias, Triumphos, Trophæa, Hostes, æquã lance pensitemus, nonne vel hoc nomine augustiorem ille laudem ac gloriam meretur, quòd sine ullo strepitu armorum, sine ulla sanguinis profusione, hostes, Esavvitas, Sacramentarios & alios fanaticos immanitate barbaros, crudelitate horrendos, omni Sophisticationũ genere abundantes validissimè tum aliàs scpius, tum in nupero potissimùm Colloquio debellavit, domuit, expugnavit: ut verè cum Apostolo *1 Timoth. 4.* illud canere potuerit. Bonum certamen certavi, *7. & 8.* cursum consummavi, fidem servavi: cæterũ, reposita est mihi corona

justitiæ, quam reddet mihi DOMINUS in illa die, justus Iudex: non solum autem mihi, sed omnibus adventum eius diligentibus.

Intelligitis ipsi Auditores, de brevitate mihi magis laborandum, & constringenda esse plurima, quæ merito amplificare possent, imò fortè etiam deberent; Sed vestræ in audiendo patientiæ mihi ratio est habenda: & jam dudum ultimus vitæ, vel mortis potius Hunnianæ actus, ad te quasi vocare, & hanc absorbere Orationem, mihi videtur: de quo mox dicturus: si priùs, & tanquam in transcurso, paucis privatam HVNNI vitam attigero. Sed ut summatim omnia comprehendam, jure optimo illud Hippocratèum ad ipsum accomioda vero: fuisse nempe HVNNIV M *ἄνδρα καλὸν, καὶ ἀγαθὸν, μὴ φιλομίας, ἢ φιλοδοξίας: adde etiam, μὴ πλεονεξίας, μὴ ἐριθείας, ἀλλ' ἀληθείας καὶ εὐσεβείας ἐραστὴν.* Nam ut de domestica gubernatione & familiâ ordiar, erat ille secundum admonitionem Apostolicam inculpatus, unius uxoris maritus: liberos habebat subditos cum omni reverentia: domui suæ benè præerat, non turpem quæstum faciens, sed *ἐπιεικῆς, ἀμαχῶς, ἀφιλάργυρος*: Undè divina benedictionis vestigia, tum in re familiari, tum in eo potissimum abundè deprehendit: quòd secundum promissionem Psalmi 128. vidit filios ac filias sicut plantationes olivarum in circuitu mensæ suæ. Nam ex una Coniuge, ELEONORA FELDERINA, Spectatissimi viri IOHANNIS FELDERI præfecti in Schönbach &c. filia, matrona honestissima, cum quâ Anno 1576. die 10. Januarij Tubingæ nuptias celebraverat, octonos liberos genuit: nempe anno 77. supra sesquimillesimū, die 23. Februarij filium LVDVICVM egregiæ indolis, magnæq; expectationis juvenem, quem biennio post impetratum gradum in Philosophia summum Deus pro beneplacito voluntatis suæ, in ipso ætatis flore, cum vixisset annos 19. menses 4. & dies quinque: Anno nonagesimo sexto. die 30. Iunij, ex hac terrena Vitebergensi, ad cœlestem Academiam evocavit.

Anno 79. die 3. Septembris, filiam SABINAM.

Anno 81. die 10. Septembris, filiam HEDVVIGEM, quæ biennio post, Anno videlicet 83. die 13. Decembris satis concessit.

Anno 83. die 17. Martij, filium HELFRICVM VLRICVM.

Anno 85. die 11. Iulij, filium NICOLAVM.

Anno 88. die 10. Martij filiam ELEONORAM.

Anno

Anno 90. die 30. Augusti filiam MARGARETHAM.

Anno deniq, 94. die 19. Martij filium AEGIDIUM: & hunc quidem unum V Vitebergæ, reliquos Marpurgi.

Et quod meritò in magna tælicitatis ac benedictionis divinæ parte ponendum est, in hac prolis copia, haud necesse habuit experiri illud Demosthenis: τὰ ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥσπερ εἰμαρμένη εἶη, Φᾶυλοι υἱοὶ ἀποβαίνουσι.

In communi conversatione admirabilis in HUNNIO modestia semper eluxit, & cum ingenua morum simplicitate, gravitas quædam veneranda. Nōrunt familiariter illo qui usi fuerunt, ea ipsum humanitate atque benignitate extitisse in omnes, ut nemini facilè operam suam denegaret, aut suis tantum inservire commodis, non aliis etiā prodesse cuperet: nulla ex re voluptatem perciperet maiorem, quàm cum aliorum tum studia provehere, tum commoda promovere reliqua sese animadverteret. Unde (quod ex ipso aliquoties me audivisse memini.) ex operis & laboribus Academicis tum se verum exoptatumque fructum percipere existimabat: non si Lyfandri agrum egregiè cōstitutum hospitibus ostenderet, sed si Studiosos Theologiæ, tanquàm plantulas sua manu insitas & plantatas, non in hortis aut pomarijs, sed in templis, in Scholis, in Principum rerumque publicarum cancellis, in curiis, in urbibus, in pagis, fructus proferentes uberrimos monstrare & percenseri posset.

Porro dici nequit, quàm exultaverit, quas quantasque DEO gratias egerit: quoties de incremento purioris doctrinæ, deque prospero Ecclesiæ statu certior fiebat. Et vicissim, quoties audivit Satanæ & organorum ipsorum machinis, cursum doctrinæ Lutheranae inhiberi, turbari Ecclesiam, excitari Schismata, dissensiones, offendicula, vel in doctrina, vel in moribus: quàm ibi sollicitus, quàm afflictus fuerit, quàm nihil non tentaverit, ut hisce vulneribus idonea salutariaque remedia adhiberentur.

De pacis & Concordiæ studio, quo tenebatur incredibili, quid dicam? Quàm sæpè, bone DEVS, laceffitus etiam iniuriis & convitiis, de iure suo cessit? Quid de ingenuo candore, de mentis sinceritate & constantia proferam? Non profectò aliud in lingua habebat promptū, aliud

verò fovebat sub pectore clausum: nihil simulatè, nihil astutè, nihil dolosè, nihil insidiosè agebat unquam.

Quid denique de singulari illo amore, quo nos Collegas suos complectebatur, disseram? Quid de animorum indissolubili conjunctione, & aureo pacis ac Concordiæ vinculo, quo Collegium nostrum jam inde ab ejectione Huberi, quasi congelatum erat? Quid de votorum & sententiarum placabilitate? Non certè solebat HUNNIVS, licet senior Collegii esset, *ἰδιοβελίειν*, & seipsum solum audire, se solum admirari, se solum efferre, ut faciunt nonnulli *ἰσχυρὸν γνῶμονες*, qui solum, quod ipsi dicunt aguntque magni solent facere: reliquos pro fungis ac stipitibus habent.

Cæterùm his missis ad ultimum vitæ Hunnianæ actum, qui beatum ipsius obitum concernit, me vel tandem converto.

Testantur illi, qui vitæ & studiorum ipsius rationes accuratius observarunt, consuevisse illum non integro modò die, sed & post peractam Cœnam, in profundam usque noctem, scriptonibus & meditationibus operam dare, summoque mane experrectum, ad eas mox redire. Quibus continuatis vigilijs & laboribus ille quidem famæ nominis que immortalitatem, cum eximio Ecclesiæ Christi commodo conjunctionem, est consecutus: sed illam vicissim ventriculi imbecillitatem, humorum *κακοχυμίαν* contraxit, quæ, proximo potissimum biennio, crebras & periculosas destillationes, & tandem etiam intempestivam mortem attulit.

Aegrotare cepit, die 15. Martij, & principiò quidem familiares calculi dolores, atque sæviores ipsum invaserunt: sed mox his successerunt cum supremè ad guttur deorsum ruentes catharri: tum infernè sursum per stomachum lenti viscidique humoris indefinentes eructationes, à quibus non solum jam antè exasperata columella, sed & palatum, & faucium regio universa, veluti incrustata fuit: ut adicus jam medicamentis pariter & alimentis prohiberetur: Medicis nec quicquam sat agentibus. Supervenerunt nausea bundæ proritationes, non vomitu, sed screatu eoque difficili finientes, quas *ἐν κακοῖς* habet Hippocrates: cum non obscuris signis convulsionis ventriculi, & mox eam ab exhausto infecuturi, & inflammationem tandem attracturi, & interitum, singultus insanabilis & salutis desperata: quod eventus tristissimus comprobavit. Paulò enim post febris oborta, vires jam antè calculi tormē-

tis fractas, & multorum dierum inedia exhaustas penitus exolvit, & mortem (proh dolor) adduxit.

Mentem habuit futuri præfagam, tum in multis alijs eventibus, tum in mortis instantis prænuncianda certitudine. Nã cum adhuc nullum vel morbi letalis, vel mortis adesset indicium, animum suum sibi prælagire dixit, se non fore diu amplius superstitem: sed cum explicacione Epistolarum Paulinarum (jam enim postremam præ manibus habebat) vitam etiam suam clausurũ, cum illo Apostolico Epiphonemate: Bonum certamen certavi: cursum consummavi: fidem retinui & bonã conscientiam: proinde reposita est mihi in Cœlis Corona justitiæ &c.

Et profectò præfagio mox eventus respondit longè tristissimus.

Cæterum priusquam è vita discederet, finem verò vitæ instare persentisceret, die quarta Aprilis, tertia matutina, nos tres Collegas suos, & Archidiaconum ad se vocari curavit: inque nostra, & Medicorũ præsentia, articulata, licet submissiore voce, disertè testatus est, se Cõfessionis suæ & doctrinæ, tam viva voce, quàm scriptis propugnata, ad tribunal Iesu Christi intrepidè rationè redditurum: inq̃, Cõfessionis huius suæ fideiq̃; Cõfirmationẽ SS. Eucharistię viatico, hoc est, ipso Corpore & sanguine Christi Servatoris sui, instrui, pasci, potariq̃; voluit. Qua sacra actione magna cũ devotione, inter preces & lachrymas, ritè peracta, quieti sese non nihil commissurus, initiò quidem nobis Collegis: deinde verò Conjugi etiã & liberis, dexterã separatim singulis porrexit, & sic extremum vale dixit: quanto cum nostrorum omnium cordolio, facile æstimabũt, qui vel ipsi experti sunt, vel ab alijs audiverunt, quàm acerbum sit, divelli eos, quibus non Collegialis, sed fraterna omninò animorum intercessit Cõjunctio: quàm item grave sit, Coniuges rupto amoris & fidei Cõiugalis fœdere, ab invicem dissolvi: liberos à dulcissimo parentis amplexu abstrahi, & orbari parente charissimo, parente nimirum eo, in quo post Deum, omnis salus & fœlicitas ipsorum erat reposita.

Reliquo vitæ, quod adhuc restabat, tempore, pauci erat sermonis, ob defluxionum vehementiam: Quoties tamen ex nobis Collegis & alijs astantibus, Scripturarum testimonia Cõsolationis plena, de gratia & misericordia DEI, de merito CHRISTI Servatoris, de remediis, terroribus mortis opponendis, in animum ipsi revocabantur: semper capite annuebat: & sic animo ad silentium ac patientiam

composito, in sola mortis meditatione, inque filii Dei invocatione, totus recubuit: & quò magis properabat dissolvi, & conjungi cum CHRISTO, eò magis divinum aliquod opus & *iniqua* Spiritus Sancti in eo sese exerebat: ut jam visu audituque destitutus, manus rament suas subindè in cœlum attolleret, suumque spiritum, sanguine Christi expiatum, fide sanctificatum, Deo patri ardentibus cum gemitibus commendaret: atque ita sanè quiescens, spiritumque agrè trahens, tandem inter preces, & ardentissima ad Deum suspiria, oculos suos, ille Ecclesiæ & Academiae nostræ, imò totius Christiani orbis ocellus clauderet, & eadem die quarta Aprilis, paulò post octavam vespertinam cum occidente Sole, animam suam ita placidè exhalaret, ut indormivisse magis, quàm mortuus esse videretur.

Atque ita proh dolor amissimus Auditores, virum longè Clarissimum, Theologum incomparabilem: decus Academiae nostræ eximium: illustre pietatis exemplum: assertorem fidei strenuum: fulcrum & columnam Ecclesiæ præcipuam: pacis & concordia Antistitem: pauperum Meccenatem: Conjugis & liberorum asylum ac solatium: Omnium denique virtutum illustre theatrum; viris Principibus gratissimum: Collegis acceptissimum: omnibus denique charissimum. Talem, inquam virum, Doctorem, Collegam, eheu amissimus. Cuius miserandi fati causas, ex natura hominum, & præsentis temporis conditione, duas potissimum me deprehendere, ingenuè fateor. Videmus plærumque in humanis, nescio quo fato sic comparatum esse, ut plurimi semper reperiantur, qui bona præsentia vix unquam rectè agnoscant: imò non modò non agnoscant, sed & parvi faciant, contemnant, extenuent: & si fieri possit, præclarorum huiusmodi Ecclesiæ organorum luminibus penitus obstruant. Sunt contra alij, qui contrario modo peccant, & Deorum aut Numinum instar colunt, quos liberalius DEUS donis suis instruxit. Quo pacto in Idololatriam turpi excessu homines incidunt: & quod divinæ bonitati ac virtuti erat in solidum acceptum ferendum: illud humanæ industriæ ex toto vendicant. Neutrum diu ferre potest DEUS, ut qui neque contemptum suorum donorum tolerat: neque patitur, ut dona hominum quantumvis excellentia, sibi auctori & largitori liberalissimo præferantur.

Proinde

Proinde quemadmodum Deus eripit dona, quæ in hominibus spernuntur: ut, quod Seneca prodidit, tum demum homines sua intelligant bona, cum quæ in potestate habuerunt, ea amiserunt: Ita vicissim amovet, quæ impensè, & plus æquo diliguntur ac magni fiunt, ne sit in utramvis partem turpis excessus occasio.

Sed quicquid sit, illud profectò interim manebit ratum fixumque, nempe fatum hoc HVNNII non tam esse luctuosum, quam ominosum: & tale omnino, quod magnam post se calamitatum & conversionum iliada trahat. Verum nolo malè ominari, quin ad preces potius me confero, & cum Davide ingemisco: Convertite Domine Deus noster, Convertite Deus salutis nostræ, & avertite iram tuam à nobis: Respice quæso Ecclesiam tuam: & sicut olim subvecto in Cælum Elia, Elisæum concessisti, ita excita, substitue, & præfice Ecclesiæ tuæ alterum Elisæum, qui si non duplo majorem, saltem parem HVNNIO spiritum habeat: Ostende nobis rursum Domine misericordiam tuam, & salutem tuam da nobis: dissipata gentes & consilia quæ bella volunt: Confunde hostium veritatis, Esavitarum cumprimis furores: disperde eos, & fac ut experiantur illud Apostoli: *φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωρέθησαν.* Defende inclytam patriam nostram Germaniam, & cumprimis Illustrissimam domum Saxoniam, inque hac Illustrissimum Celsissimumque Electorem CHRISTIANVM II. cum Coniuge serenissima: cum matre, Electorali vidua Illustrissima: cum fratribus celsissimis, Domino IOHANNI GEORGIO, & Dn. AVGVSTO: Ducibus Saxoniam, Dominis nostris clementissimis: Quin & Academiam hanc totam, inque ea docentes ac discentes rege, protege, fove: donec tandem singuli, consummato cursu nostro, ad Cælestem illam translati, & HVNNIO nostro, imò omnibus Electis associati, te Deum verum sine fine intueamur, sine fastidio amemus: sine fatigante colamus, laudemus, celebremus, Amen.



G

ADA.

40
 ADAMI THEODO-
 RI SIBERI ELOQ. PROF.
 ORATIO EXEQUIALIS.



NEMINEM VESTRVM ESSE arbitror, magnifice, reverendi, generosi, vosq; reliqui omnium ordinum, dignitatum, atque conditionum viri ac juvenes præstantissimi, qui non verborum aliquid pro more à me expectet, non tam ad vos, qui funus comitati estis, quàm de eo, cuius funus prosecuti sumus. Quod facerem equidem, si ulla id ratione consequi possem. An enim commemorem, quis fuerit, quem extulimus? Hoc etiam pueri norunt, & infantes loquuntur ipsi. Qualis fuerit? At id quidem non meam, aut ullius vocem desiderat, quippe cuius nomen tam clarum ac testatum est, ut eius laudatione, celebrationeque universus hic orbis Christianus personet.

An porro vicem rei Ecclesiasticæ atque Academicæ deplorarem, quæ tam venerando ac precioso capite tam subito orbata, tantum jacturæ fecit, ut post magni illius Lutheri mortem par damnum non senserit? An denique consolationis viam ingrediar, qua vobis luctum hunc minuere instituam, quem & hac frequentia tanta, & multò magis vultu ipso, ac plurimis, verissimisque lachrymis declarastis? At enim verò Patres atque Cives humanissimi, date mihi quæso hanc veniam, ut patiamini me vobiscum seriò potiùs, atque ex animo dolorem communem dolere, quàm inepta oratione & mihi, & vobis molestiam parere. Quæ quidem magni illius AEGIDII HVNNII (jam enim tandem nomen il-

lud sanctum, & sanctissima memoria perpetuò colendum
 pectore meo erumpit, quod dolor haftenus penè intercluse-
 rat) quæ igitur tanti viri & de Ecclesia, de Academia, de quæ
 nobis singulis & universis optimè præclarissimeque meriti,
 manibus ac memoriæ debentur, ea partim tributa jam sunt
 Programmate, & concione funebri, partim optimi & doctissi-
 mi cujusque pietas suo tempore persolvat: & nostra quo-
 que fides atque opera, si tanti ea videbitur, haud paulò recti-
 us atque cumulatiùs præstiterit. Nunc quidem non solum
 recens mœstitudo, verum etiam importuna hæc tussedo lon-
 gior omnem orationem præpedit. Quod autem reliquum
 est, vobis, quos dixi, singulis & universis gratias agere verbis
 meis iussus sum nomine laudatissimæ, sed & luctuosissimæ
 familiæ. Quas gratias quia scio non expectatis, hoc enim of-
 ficium ita rogari obivistis, ut ultro frequentaturi fueritis, ita
 autem frequentastis, ut rogationem ipsam prævertisse videa-
 mini, ideo eas pluribus non prosequar: tantum illud Deum
 immortalem, patrem Dn. nostri IESV CHRISTI ex ani-
 mi sententia oro vobiscum atque obsecro, oculis clementiæ
 suæ nos respiciat, & huic Ecclesiæ atque Academiae
 nostræ, ut tribus verbis optata & honorata
 omnia complectar, HVNNIVM al-
 rerum præficiat.



Super Obitum

ÆGIDII HVNNII

Nobilis. Theologi, Collegæ Opt.



Vando Academiae celebravimus orgia nostra,
 Clausimus & SAECLO IVBILA prima novo:
 Cum verba ad populum linguâ Ciceronis haberes,
 Ipsaque res sacro fereret igne Dei:

HVNNIADE, in celsâ visus florere cathedrâ,
 Floret ut in pingui Delia laurus humo.

Vix menses abeunt seni velocibus horis;

Corporis atque Animi flos perit ille tui.

Et nunc arescis, qui lauri more virebas:

Nunc silet Eloquij vox animosa tui.

Nunc vates satagunt cineres humore salubri

Spargere, & exanimum vento animare Animum.

Nunc videas lacrimis hunc emulgere cerebrum,

Illum pulmones egerere in gemitûs.

Nequicquam: Rigidi vis hac adamantina fati est,

Quam lacrimâ aut gemitu frangere nemo potest.

Huc gemitûs, huc & lacrimas conferte, Poetae,

Quâ liceat voti spe propiore frui.

Tiphys & Automedon Christus EVIT HVNNIVS. O, dic,

Alter ab hoc superet Tiphys & Automedon!

Frid. Taubmanus, P. &

Professor.

Idylli-

Idyllion

LAVRENTII RHODOMANI.

Ανδράσιν ἐν λογίοισι, θεογλώσσοισι ἀγρηταῖς,
 Σεμνὸς καὶ θαυμαστὸς ἔλω, καὶ ὑπεύροχ^{ος} ἄλλων,
 ΔΥΤΝΝΙΟΣ, εὐχμέων δριδείκετον αἶμα Σηθῶν,
 Τευτανίης τ' ἄστρον πολυίδμον^{ος} Αἰψα γὰρ αὐτὸν
 Ἐκ χμετῆς ὑπέδεκτο, καὶ οἷς ἀλητήλατο κόλποις
 Μῦσα μετ' εὐσεβίης. εὐδ' ἐξεπόνησε πρὸς ἄκρον
 Παντοίης σοφίης τε, καὶ ἤθε^{ος} ἡμερόεντ^{ος},
 Τυβίγης λογίης κατ' ἐδέθλιον ἠδὲ καὶ ἄλλη.

Ὅτι πρὸς Ἑβραίων τε καὶ Ἑλλάδ^{ος} ἠδὲ Λατίνων
 Κρηνοῖς ἐν καθεροῖσιν: ἀνὴρ ὁδε πάντων ἀφυξ^{ος}
 Πάντα μάλ' ἰχνεύοντι νόω. πείρα δα δαίωαι.
 Πάντα θεοπνεύτων βιβλίων μυσηρί' ἐπέγνω,
 Ὅσον ἐφικτὰ βροτοῖσι, καὶ ἀνέρι, τὸν περ ἔθηκεν
 Ὀυρον εἶν πρὸ βράτων Χριστὸς πειώσιον ἄλλων.

Ὅσα περ ἤγαθῶν πατέρων ἐν γράμμασι κεύθε
 Θεολογίη, σαφῶς ἠπίσατο, ρίμοθα διδάσκειν.
 Εὐεπίη γὰρ τῶδε κατὰ σόματ^{ος} χέε νεκτ^{ος},
 εἴζε δ' ἄρ' ἐκ πρῶπιδων καλάμω βαθυμύρεα νασμόν.

Τὸνεκα θαυμασίως συγγραμματα: πῶσα πόνησεν
 Ἀκαμάτοις μελέτησι. θεῶν λόγον οἷσιν ἐδῆξεν
 Εὐφραδέως, καθεροῖσιν τε νοήμασιν. οἷα τις Ἑρμῆς
 Νημερτής: ἀκάκητα, θεήλατ^{ος}, ἀγγελοειδής.

Ψυχοφόνων δ' ἠλεγξε κακὸν δόλον αἰρεσιαρχέων.
 Κόσφιν ἀλῶν κώμοιο, παθῶν δ' ἀπάτερθε κελαινῶν.
 Μειλιχίω γὰρ σέργῳ, ἐπισβολίασιν ἀθερίζεν.
 Οὐ γὰρ ὀδακτάζειν Χριστοῦ θεμῖς ἐστὶ μαχητῶν.
 Θηρῶδες δὴ τοῦτο, καὶ ἔχ' ἠρώιον ἔργον.
 Εἶπε, καὶ ἅπαντα εἰθῆς δῆϊων ἔρριψεν ὀδόντας:

Οὐ γὰρ εὖν διφῶν κλέσθ' ὤχετο καρτερός ἥρωσ.
 Ἀλλὰ θεῶν, λαῶν ἴ' ὄφελθ', καὶ ἐτήτυμον αἶμον
 εἰς βίον, ἀτρεκίηστ' αἴγλιω, καὶ ψεύδεσθ' οἶτον.
 Τοῖσθ' δὴ σκοπέσ ἀνδρῖ, θεῶν μέγα κῦδθ' ἀέξιν,
 καὶ ψυχέων νήριθμον ἐς ἔρανον ἔθυσθ' ἀγνεῖν,
 καὶ τὰ νοέων εὖ περῆξε. καὶ εὖ τολύωσεν ἀέθλον,
 Χάρμα θεῶν, παίμνη φάσθ', ἐχθροῖς πῆμα καὶ ἀλγθ'.

Τὸν δὲ πλάγξινοσι φρίξαν μάλα ποιμαντήρες.
 Ἡμῖν Ρωμαϊκῶν νεαρὸς τόκθ' Ἀνιζχρῖς κ.
 Ἡδὲ θεοβλαβέων δόλι' ἔθνεα δειπνοσφιστέων.
 Τῶτο δὲ Καισαρῆν πτωσατο Ρῆγνοπύργη
 Πρώτω, εὐτ' ἔφραξε τὰ χεῖλεα, κόψε δὲ θάρσθ',
 αὐτὸς, καὶ πινυτοὶ συμμήσορες, ἀλκί θεοῖο,
 ἀνδράσιν, οἷς φέρεται φουδώνυμον εὐχθ' ἰησῶ.
 Δάμνατ' ἀναιδεῖη μάλα περ θρασύθυμθ' ἔσσα,
 φεῦδθ' ἀληθείη τὰχ' ὑπὲρ εἰκα θε, καὶ σκότθ' αἴγλι.
 Νῦν δ' ἀποφώλιον ἔθυσθ' ἐπ' ἀλγεσι ἀλγεα πάσχα.

Αὐτὰρ ὁ κοινοφασεῖ Χριστῶ μάλα κῦδεῖ γαίω
 Ἀτρεκίης πρῶμαχθ' μόλον οἴκαδε πᾶσιν ἀγνῶς,
 καίτ' αὐτῶ καύχημα θεῶν, καὶ ἐς ὑψθ' ἀείρε
 θεασεῖς φωστῆρα λόγῳ πλέον, ἢ τοπάρου θεν.

Ωραῖον δ' ἐφάνη τῶ παμμεδέοντι βραβυτῆ,
 Στέμμα οἱ ἀμφιβαλεῖν ἀμαράλινον, εὖ τὸν ἀέθλον
 ὧδε διαπερῆξαντι, καὶ ἔρανώ ἐγκατανόσσαι,
 οὐρανιδέων ρέξαντα πανάξια, κρείσσονατ' αἴης.

Τῶ μιν ὅσως μαλακῶ δεδμημένον ἤραγεν ὑπνω,
 Ἡμῖ θεοζήλων σάσις εὐδιθ' ἀγγελιωτέων,
 εὐδικίης οἱ πλεῦνας ὁδηγήσαντο πρὸς ἤθη.
 Ἐνθε γαίνθ' καὶ τέρψις ἀκήρατθ', ἐνθάδε μόχθων
 Γυρδύρων ἀμψυξίς, ἐν αὐτῶ γένασι Χριστῶ.

Τοῖα μὲν ἐξαπίνης δέχεταί γέρα Φαίδιμθ' ἥρωσ.
 Ἰσσερα δ' αὐτῶτων σερφερέστερα Χριστὸς ὁπάσφα.
 Εὔτε θεοφθόγων μὲν αἰεὶ κατ' ὀμήγοριν ἀνδρῶν

Σιλπνοῖς μαρμαίροντ' ἀμαρύγμασιν ἀθρήσωμεν,
Ἐσπερ ὅς πικνοῖσι μετ' ἀσράσι καλὰ φαίνει.

Ἀγγελικοῖς δὲ χοροῖς ἀναμίξτεως εὐχετάαται.

Ποιμνίον εὐλειμῶσιν ἐν ἀφάρτοισι νέμεσται,
καὶ τίκτειν χριστῶ φίλα θρέμματα πολλὰ κατ' αἶαν,
καὶ φονίων γέν' ὄζυ λύκων δόπατ' ἔλε φέβεσται,
μήλων ἐργομενόντερ ἐν ἔιμασιν ἀγλαομόρφοις.
μήτε λίλω πενθεῖν σφέτερον μόρον οἰμώζοντας.
εὐδαίμων ὁ γ' ἐστὶ καὶ ὄλβι' αἶεν Ἰπτιωθῆ,
οὔτε γούσις πμητὸς ἀεικέσι, καὶ δακρύεσσι,
μᾶλλον ἢ εὐχδρείπασσι καὶ εὐφήμοισιν ἰωαῖς.

οὔποτ' ἀναξ ποιμνῆς ἀποχάζεταί σοι δ' ἀρχαμέσασθαι
στὰς, ὀνομακλήδην νέον ἄλλον βῶπρ' αὐτῶσθαι,
ἀξίον οἰχομένοιο, πατὴρ δ' ὡς ἤπι' ἔσαι.
ὣς θεὸς ἀρνὰς εἰς φιλέθ καὶ κήδει' ἀπ' ἀρχῆς
ἐνδυκέως, τῶς τοῖσι παρίσταται εἰς τέλος αἰεὶ,
βόσκων καὶ θάλασσων, καὶ γύρα' ἀγχι κομίζων.
Νωλεμέως ἢ φύλαξ ἐνδέχνηται ἄλλ' ἐπ' ἄλλον.
κλαίειν ἢ αὐτὸ μήκιστα θεοπλανῆς ἔθνη ἀνάγη
ὈΤΝΝΙΟΣ ἐν μακάρεσσι, καὶ ἡμέας εὐφρονι θυμῶ
ἐν χριστῶ μέγα θάρσ' ἔχειν καὶ χάριμα καὶ ἀλκίω.
Χαίροις ὈΤΝΝΙΕ δὲ, καὶ εὐδύναμο βραβεῖς
αἰθέρ' ἐν μεγάρουσιν, εὐκλείης ἢ παρ' ἡμέων
θάλλ' αἰεὶ δρέψαιο, τὸ σῆς δρετήσιν ἴοικεν.

Κλαίει χριστιανὸς συναχιζόμενος κραδίηθεν:
ὈΤΝΝΙΟΣ εὐπίστος κατ' ἰανὲ θεολόγος.
κλαίει Λαοκορίδων ἀκαδημῆ ἐξοχα ἄλλων:
ὈΤΝΝΙΟΣ ἀσκητὴς κατ' ἰανὲ παλῦτιδρις.
κλαίει ὀδυραμένη χῆρα πεπημένη ἡτορ:
ὈΤΝΝΙΟΣ ἥς γε πόσις κατ' ἰανὲν ἡμερόσις.
κλαίει δάκρυα θερμὰ χέοντα τὰ ὀρφανὰ τέκνα:
ὈΤΝΝΙΟΣ ὧν γε πατὴρ κατ' ἰανὲν ἡπιόφρων.

Χαίρει

Χαίρει Έσαώτης, ήτληθεις άρτι μάλ' άισχρως:
 ΟΥΝΝΙΟΣ αντίμαχ^Θ κάτθανε νικοφόρ^Θ.
 Χαίρει Καλβίν^Θ, κατελεγχθεις πλεσα γραφῆσιν:
 ΟΥΝΝΙΟΣ αντίπαλ^Θ κάτθανε χρυσοφίλ^Θ.
 Χαίρει πρ' γέπης άλλ^Θ, ο ίσως ενύδι ναίων,
 Ηδ' έδικλω σατανάων Ίπιχαιρέκακ^Θ.
 Χαίρει Έσαώται, Καλβίνε, και άλλοι άπαντες,
 Οί γε δικλω σατανά έσ' Ίπιχαιρέκακοι.
 Έθ' ότε αύ υμμες μάλα πικρότατα κλαύσητε,
 Χάρματ^Θ αντί κακού, εν αίδαο δόμω.
 Αυτήρ Χριστιανώ, Χήρα, Τέκνοισί τε, έσώ
 Ηδ' Ακαδημείη, παύσις οδυρομένοις.
 Εν ζωῆ μὲν επρανή, πισοίς Θεός οΐδεν
 Δέν αντί κλαιθμῶ Χάρματα θεσπέσια:
 Τῆ ᾗ παρεγορίω Χήρα, τέκνοισί τε δώση:
 Άλλον δ' αύ ήμίν ΟΥΝΝΙΟΝ έξέμεναι.

M. Erasmus Schmidt Græc. L. Prof.

VVite. sanctos Collegæ dilectiss. manes
 desiderio profecutus F.

Eheu Magni HVNNI lugemus funera mæsti,
 Post tua quo maior nemo LVTHERE fuit.
 Hoc vita functo deserta Ecclesia tristis,
 Actum est: exclamat, Tunisi Christe iuves.
 Std IESU à dextris vivis Patris Omnipotentis,
 Atque manu Omnipotens cuncta potente regis,
 Et donec venias, Doctores mittere nunquam
 Cessas, spargentes dogmata vera tua.
 Des igitur duplici superet qui robore sancti
 Flamini hunc nostrum, quæsumus Hunniaden,
 Ut sit Saphatides: cuius vel mortua vitæ
 Attactu vires ossa dedere, ratum.

Aurelius Streitbergerus Theol. D. Curien-
 sium Superintendens.

ODE

ODE ALCAICA.



Conditarum tempore primitus
 Rerum fidelis naviculam suæ
 Ecclesiæ per turbulenti
 Aequoris eripuit procellas
 IEHOVA semper. Constat id oppidò
 Ex fontis ipsius scaturigine,
 Si Bibliorum ritè succos
 Prolicias, & ad istud aptes.
 Duravit, evax, hoc opis entheæ
 Huc usque, quando IOUA salutifer
 Fæces repurgantem Papismi
 Sanctiloquum dederat Lutherum.
 Partes Eliæ, nomen & omnia
 Terni peracer sustulit impiger,
 Cordatur is, collega cuius
 Ternus Elisa fuit Melanthon.
 Quos subsequenti post modò plurimi
 Passim per orbis laxa volumina
 Ad tempus hoc scripti & ore
 Egregij celebresque mystæ.
 Hos inter omnes non minimum locum,
 Quin immò summum tu capis EGIDI,
 Quò nomen immortale, famam
 Perpetuò facis esse vivam.
 Quis nescit, oris quæ tibi mellea
 Loquela? quæ sit roris amabili
 Perfusa mulso lingua, cælo
 Proxima, Numen ubique pangens?
 Europa novit, quæ manus HVNNIO
 Sic lasa nunquam; quàm stilus elegans.
 Quàm currat indefessus ille
 Assiduo calamus labore.
 Nôrunt Dynastæ, doctaque concio
 Passim virorum, qualiter obvies,

Commenta perstringens ad unguem,
 Hæreticis ope vique verbi,
 Tùm qualis insit vis animosior
 Contra tot hostes Numinis enthei:
 Ut præferant te disputantem
 Omnibus hîc alibique mystis.
 Mirantur omnes eloquium tuum,
 Quibus cor ardet cælitus imbui
 Te prædicant vici, cathedræ,
 Pulpita cum theatris, palæstræ
 Sic perge firma mente, nec occuba
 Sudore quoquam victus: & optimum
Tibi IEHOVAM more prisco
 Conperies fatis ad futurum.

Ex puris Iambis senariis.

LVTHERVS Antichristicida, Teutonum
 Propheta sæpe dixit, à suâ nece
 Futura multa luctuosa tempora
 In hisque, versipellis ante dæmonis,
 Vel abnegatione, dogma futile,
 Nihil quadrans ad instituta codicis
 Sacri sequutus hocce more Tharsicum
 Apostolum: sed obtigisse talia
 Utrinque constat ante nostra tempora,
 Et evenire cum gravi periculo
 Adhuc videmus indies in omnibus
 Domi forisque cætibus, quòd irruat
 Lupus rapax in hoc ovile Numinis,
 Proin necesse dicit, ut tenerrimi
 Ovilis ante sæpta sive limina
 Visi frequenter excubent piissimi,
 Et integri fide, quibusque displicet
 Hypocrisis, vetusque læx agalmarum.

Fit

Fit hoc idem, I E H O V A namque miserat
 Melanthonem pium, decus Thuisconum.
 Perenne, quàm diuque Sol obambulat
 Soli triformis huius arva; miserat
 Bonum deinde providumque Brentium,
 Et eius ex Professione plurimos
 Sagacitate gratiaque præditos
 Viros peculiariter, sed hac die
 Osiander ille vivit, omnis artifex
 Scientiæ, quod edocent & adprobant
 Typis recusa sæpe tot volumina.
 Superstes est agiturque Pappus hunc diem,
 Vterque grande luminare cœtui
 Suo; Chytræus ante quadriennium
 Abivit hinc, valeque dixit HVNNIVS
 In hac caducitate rebus omnibus,
 Vir optimus piissimusque, maximi
 DEI sui que dogmatis gravissimus
 Caduceator, æneator entheæ
 Tubæ, sacre Professor artis, ingeni
 Rotundioris integri que iudici,
 In arduis que disputationibus
 Profundus, Ister ipse nuper audit.
 Id in suis reciprocationibus,
 Vbi fluenta pontis ad crepidinem
 Retorquet ac resorbet: Universitas
 Et hæc & illa cum supore senserat,
 Quod adprobavit hic & ille Princeps.
 Obivit heu Latinitatis artifex,
 Hebræus & Pelasgus, alter Aeschines,
 Homerus alter, os velut Chrysofomi,
 Poeta, Rhetor, ut cathedra contremat
 Loquente se vel edocente publicè.
 Nec addo plura: fat superque dicere
 Erit mihi celebre nomen HVNNII,
 Scit Orbis evidenter omne eeterum.

Deinde conquiesco plura farier
 Querive, cum sciam, quod istius viri
 Præalta facta, nobilis scientia,
 Et eruditionis augmen ætheris
 Ad usque purpurata recta laudibus
 Vehantur à bonis pijsque vatibus,
 Quousque nomen HVNNII volaverit,
 Ut emerebat ille plurifariam
 Bonumque candidumque testimonium
 Apud bonos piosque, quando viveret
 Adhuc; ei det omne IOVA gaudium,
 Et omnibus piis sibi que credulis,
 Ut iste fecit, egit atque credidit.

ELEGIAI

Quid querar? aut quid agam? video prius omne creatum
 Sortis agi vicibus, postmodò morte rapi.
 Ut cita fertur avis per inane celocibus alis
 Sic fugit ex oculis, qui modo vixit, homo.
 Vile tabernaculum lateo de pulvere cretum.
 Est homo, cœlesti nî foveatur ope.
 Est tellus eadem nobis communis sepulchrum,
 Sole sub hoc uno quique jacemus humi.
 Vita labor, dolor, anxietas, sonus actus in auras,
 Somnus, imago, vitrum, flos aqua bulla nihil,
 En modò propositæ vivum paradigma querelæ,
 Cùm meus abripitur HVNNIVS ante diem.
 HVNNIVS ad finis meus, in Germanide terrâ
 Phœnix, & quâ se Christidos orbis habet.
 Vnde dolent proceres, Ecclesia plangit, at hostes
 Soli sincere religionis ovant.
 SIXO flet, Hassus agit lessum, gemit ipse Dynasta
 Theccius, ex cuius traxit hic urbe genus.
 Flet quoque singultim Pimplæi fontis Apollo
 Præses, & auratam vult tacuisse chelyn.

Et

Et meritò deflent talem pia pectora mystam,
 Qualem vix posthac sæcula fortè ferent.
 Alter Aristotelès erat & Plato, Tullius alter,
 Cui stilus haud impar, cùm loqueretur, erat.
 Comica pænè puer conscripserat ille, priusquàm
 Maius & utilius aggredereetur opus.
 Ars fuit ingenii cultrix, fuit artis at usus
 Baiulus, hinc tantæ cognitionis erat.
 Creverat haud secus in variæ progressibus artis,
 Crescere quàm Phæbe dimidiata solet.
 Nil erat in sacris abstrusum sive profanis,
 Quod non erueret sensibus ille suis.
 Gemmea conscripsit manus, aurea verba locutum
 Os fuit, ex omni parte rotundus erat.
 Optima posthabitis aliis selegit ab ipsis
 Fontibus, haud curans, quid sibi fingat homo.
 Non secus ac apis ex amaranthi flore liquorem
 Sugit, & aërio nectare mella liquat:
 Cùm primis ubi purpureum ver intrat, & aurâ
 Frigidulâ Zephyrus temperat omne satum.
 Summa rei: perfectus erat coryphæus, & ultra
 Id, quod habent alii, cognitionis apex.
 Quod satis ostendunt numerosa volumina passim,
 Herculeus labor & res operosa viri.
 Non ita roriferos sitit alnus hiulca fluores,
 Patria quàm sitit sistier huncce domi?
 Ast fera nec prece nec pretio voluêre moveri
 Fata, sed in Rutæ detinuêre plagis.
 Sic eadem, quæ sancti loquum regit urna Lutherum,
 Postque Melanthoniden, hunc V Viteberga regit.
 Cui statuam non marmoream, sed ponite quiddam
 Fusilis ex auro, Pyramidisve taphum.
 Quantumvis nihil ad virtutem conferat aurum,
 Terra quod in gremio condit avara suo.
 Nil licet argentum gemmæve nitela, sed una
 Sic virtus, quæ nos Diis facit esse pares.

Una sit ex studijs promanans gloria, quippe
 Quæ venit ex illis gloria, vera venit.
 Sic perijt tantus, quantum non sæcula multa
 Teutoniæ poterunt restituïsse virum.
 Ut nihil hîc interspergam brevitatis amator,
 Quid cum schismaticis egerit ille lupis.
 In quam nuperiùs descenderit ille palæstram,
 Quando Ratisbonæ publicus actus erat.
 Quàm Cattis, quàm Saxonibus, quàm denique toti
 Commodus Imperio proficiensq̃ue fuit.
 Porrò quid in cathedra consumserit ille laboris,
 Aut ex suggesto dixerit, omne patet.
 Cætera prætereo studiosè, qualia nempè
 Quantaq̃ue publicitùs fecerit ante necem.
 Firma valetudo si processisset in illo,
 Interrupta minùs cetera fortè forent.
 Forte fuisset adhuc Ophyræo gratior auro
 Unicus hæreticos annus adire libros.
 Sed negat infelix hic annus, amarifer annus,
 Cuique subest tempus, denegat ipse DEUS.
 Nemo refragetur: quod iudicat ipseus, id æquum est,
 Mite, quod imponit, fors toleranda, jugum.
 Nemo reclamet ei: benefactum dicat, & omne,
 Quod facit, est iustum, nec violenter agit.
 Laudetur potiùs: moribundus at ista volutet,
 Inque cor inscribat, quod Calaminus ait:
 Mors patet, hora latet, veniet cita, corrige vitam
 Mors aditus vitæ sic melioris erit.
 Cesso queri: cùm vita perit, tunc summa bonorum
 Nasçitur, & funus nil nisi fenus erit.

ἐπιόσιχον.

HaC IaCet EgIDIVs CLARIs VIR DotIbVS aVCtVS
 HVnnIVS In terra, Cetera SaXo refert.

Sebastianus Hornmolt. U. I. D. &
 P. L. ad finis.

Flevimus heu! vix dum funus lugubre SCHATONIS
 ANDREAE, quo nullus erat praestantior urbi,
 Sive sacro Sophies certare liceret amore,
 Seu probitate, fide, niveo morumve decore:
 Seu tandem abstrusis Phœbææ dotibus artis,
 In qua canuerat, qua multis ante medendo
 Profuerat, savo quos mors terrebat hiatu:
 Quæq; potente, Ducum sibi conciliârat amorem,
 Ut tua, Dux AVGVST E, salus commissa sit illi:
 Cuius Cesareum emeruit quoq; fama favorem.
 Quo duce nobilitas venit nil tale petenti,
 Flevimus & deflemus adhuc, quod tam citò terris
 Exemptum, nitidis Deus hunc ascripserit astris.

At luctus luctum insequitur novus: Ecce columna
 Prima scholæ Albiacæ, nunc altera corrumpit & nunc
 AEGIDIVS vita defungitur HVNNIVS, ille
 Qui veræ FID EI constans assertor & ore
 Et calamo fuit, ore quidem secreta disertio
 Mortales docuit sancti mysteria verbi,
 Et recto Aoniam deduxit tramite pubem
 Ad vitæ caelestis iter: quin fulmine linguae
 Ter geminam Latii Lernam prostravit ad Orcum,
 Damnavitq; alios, vario qui schismate samam
 Plus fitiunt, quam divinos sectantur honores.
 Hos domuit calamo: frenis horum ora ligavit,
 Ut minus impeterent dias latratibus aras.

Fle VViteberga Helicon luge, fle petra Sionis:
 Misnia fle: lachrymas Germania tora profunde.
 Plange tuum Princeps Doctorem AVGVST E, beato
 Cuius ab ore cor omne tuum persapè pependit:
 Plange, tibi triplicem iam parca invisâ Magistram
 Eripuit, morum, fidei, arbitrumq; salutis.
 Plange tuum quoq; Relligio, velut orphana patrem
 Filia, tutorem: tibi mille pericula restant.

Summe pater, tacito quæ pectore fata minaris?

Fluctu-

Fluctuat in pelago discordibus acta procellis
 Cymba tui cœtus, & tu dormire videris:
 Naucleri occumbunt: neq; turbinis ira remittit.
 Effera nonne ratem tempestas equore merget?
 Nonnè, ubi luciferos occultat in equore vultus
 Auricomus Titan, terris mox incubat atra?
 Sic ubi Tespiadum splendor, spectataq; Phœbi
 Gloria se tenebris operit, fundamina nutant
 Religionis, & artis honos urgente ruina
 Volvitur. Ah! quiderit tandem, nisi tetrica mundi
 Barbaries metuenda? nisi confusio tristis
 Hæreseon? alios nisi tu præfeceris orbi,
 Qui legesq; tuas recolunt, artesq; propagant.

Summe Deus, tantas tibi ne nostra excitet iras
 Culpa, sed afflicti casus miserere popelli,
 Nominis & memor esto tui, quod turba proansat
 Impia, dum nostris insultat frivola templis.

Annue tu votis: felicibus assere fatis
 Saxonie trinos, pro eres; quibus unica verbi
 Cura tui est; cura ingenuas artesq; tueri,
 Conserva reliquos. quibus est mens seria purum
 Ore salutari nectar, quod fundit Olympus,
 Prælibare piis. Iuris defende patronos
 Iustitiæ mystas: Hygiæe oracla docentes
 Felici firma successu: deniq; claram
 Palladiæ Sophiæ vegeta ac tutare coronam.

Sic tibi Leucorides Musæ, sic Misnidos ora,
 Sic omnis pariter Christiani nominis orbis
 Aeternas referet grates, & cepta lycaeo
 Iubila Leucoreo seclum æternabit in omne.

Tobias Tandlerus D.

ΕΥΦΗΜΙΑ ΗΥΝΝΙΑΝΑ.

Si mea præclari, docti, purique Poëtæ
 Fronte virescentem spiraret vena vigorem,

Tunc

Ni veri studio posces, veniamque rogabis
 Gratuitam nisi per Christi bonitatis amorem.
 Desine falsa loqui, manet irrevocabile verbum
 Iudicis ante thronum iusti: reddenda quibusvis
 De dictis ratio, de factis, sensibus. Audi:
 Quod super est ævi, haud Satanae, neque carnis in usum
 Confer; peccati mox formidare furores
 Incipias; discas traducere sanctius annos,
 Nec te semper inops agitet vexerque cupido,
 Sic tibi seu tardum seu velox terminet ævum
 Lance Deus, vives, morieris, sanctius ipsi,
 Nec tibi mordebit vermis pia viscera averni.

HVNNIUS ecce subit justus sua fata, supersunt
 Scripta viri, pietatis, honos, quæ semina firmant
 Verbi non hominum, sed quod manavit ab ore
 Veracis CHRISTI, solum quem iussit ab axe
 Audiri Pater æthereus qui sidera vertit.
 Non LVTHERVS obit, dum fati jura subintrat,
 Sed vivus super est per scripta salubria: Numquid
 CHEMNITII celebrem potuit remove favorem
 Ira, furor, PAPÆ, CALVINI noxia lingua?
 Posteritas peior numquid suppressit honorem
 LVTHERI? Nihil huius: Candida scripta vigeant
 Iustorum passim neque vivere tempore sero
 Cessabunt: non verba Dei, non verba salutis
 Secula delebunt, manet indelebile verbum
 CHRISTI, quod sani DOCTORES voce salubri.
 Colloquiis, scriptis confessi: scripta supersunt
 Et confessio salva; fruuntur membra quiete
 Interea, donec redeant nova tempora vitæ
 Quæ reddent animæ corpus, quæ gaudia spondent.
 Quorum finis erit nullus sub luce perenni,
 Quam dabit in Cælo Deus incarnatus & agnus
 CHRISTVS, qui solus nostræ spes unica vitæ.
 Percipe dicta cohors Papæ, tu percipe dicta
 Postera CALVINI Schola, desine vana movere,



Disce supercilium deponere, disce cavere
 Ante pedes foveam, quisquis tam saxa minaris.
 Non gladius CHRISTVM propugnat strictus, ab axe
 Spiritus illustrans pia pectora cordis adauget.
 Nobile præsidium, quo fit confessio sana,
 Hac contra CHRISTI pugnat certamina, CHRISTVM
 Confiteare, Deo sic gratus miles haberis.

HVNIVS ecce subit justus sua fata; supersunt
 Sub pastore Deo, sub CHRISTO pectora plura
 DOCTORVM, quibus est veri, fideique potestas
 Alma, probata Dei donis: pervertere vocem,
 Horum & scripta nequis Satan: ausis plurima quamvis
 Confundere tamen: VERI nisi germinet usus.
 Quicquid mentitum est & falsum desinet omne,
 VERI sis consors, sic UERI præmia posces.

HVNIVS ecce subit sua fata beatus & intrat
 Non purgantis onus PAPÆ, nigra tartara, Cœli
 Sed claras sedes, ubi CHRISTI gaudia sentit
 Sed num CHRISTVS abest nobis, num sede remotus.
 Est ubi parva cohors, LUTHERI Concio viva
 Est ubi? CHRISTVS adest Pastor primarius, ipse
 Disponit curas nostras tranquillat easdem:
 Ipse imponit onus quod quilibet inter alumnos
 Vitæ suscipiat, quod gestent membra salutis
 Exemplo CHRISTI: Sic meam ponit & arctat
 Papa tibi, furijs Satanæ, rapidæque cloacæ
 Inter agros Calvos, ubi sunt tua transtra SVITA.
 An secretum iter est fallentis semita mentis?
 Mille doli cuiquam, num Lugula sancta nocebit?
 Non ultra quàm complacere (cognoscito) CHRISTO.
 Quàm profit sanctæ, parvæ timidæque Sareptæ.
 Interea verbo facies vim (noscito) CHRISTI
 Non ullam: Cœli facies, terræque meatus
 Intereunt certò, non interit attamen ipsum
 VERBVM, perpetuò quod firmum, & firmitus ipso
 Est Cœlo: non sunt violentia firma, furores,

Papales technæ: Calvini Pompa superba
 Desinet, interea CHRISTVS deridet ab axe
 Papæ inimicitias, nugas, & funebre bellum
 Quod ventosa cohors, servum pecus urget, adornat.
 Sed tot sustineas & tanta negotia solus
 Cum tu CHRISTE DEUS, Papæ Calvæque cohortis
 Non longo, insidias, non vim, sermone morabor.
 Tu portenta potes fatali perdere lance
 Orci, quando bonum fuerit, quandoque placebit.
 Ergò tuis vindex esto Deus, annue votis,
 Tu patrociniò cœlesti protege cœterum
 Quem Satan insequitur, quem turba maligna moratur
 Per laqueos fraudum, & per mille pericula versat.
 Magne parens rerum furias maris atteris omnes,
 Dejice sic tumidos fluctus, mundi que furores,
 Et quicumque tuis sævum caput objicit arvis.
 Interea salvus vivat, Cœli que quietem
 HVNNIVS in CHRISTI gremio sentiscat, ab ortu
 Iudex donec erit CHRISTVS, qui reddet & addet
 Præmia pro meritis cuiusvis: sit concio salva.
 Quanta tui verbi est: vigeant pia pectora passim,
 Quæ non vexat iners Papæ vesania, CALVI
 Congressus, sed luce beat quæ desuper ipse
 Spiritus æternæ lucis, quæ solus adimplet.
 Salvifici CHRISTI per verba salubria, sancta
 Hæc tutare, fove, conserva, protege, salva,
 Unde tibi soli quòd regnum, quodque potestas,
 Undique quòd soli debetur gloria CHRISTO,
 Cognoscat mundus: Schola, lux, CHRISTI arva manent
 Desinat omne, DEI quod non meditatur honorem.

M. Felicianus Clarus Past. & Superint.

Hertz. b.

SOL, qui prima novæ das incunabula vitæ
 Vivificâ radiorum animâ crescentibus anni



IN OBITUM

Mensibus, & vespas animas in gramine flores:
 Quo me dive rapis? quem mittis in intima cordis
 Viscera torporem? quo frigore conficis ossa
 Ossa repentina ululatu exsanguia fama?
 Ergo nec hac omni (melior sperata) iuventus
 Singultu fletuq; cavet, sed funere tristi
 In brumae lacrimas abeunt solatia veris?

Ab si pars animi, quam vel Fortuna vel usus?
 Ab si, quem sanguis propiori glutine, & ab si,
 Quem pubescenti mihi fecit Dexter a fratrem,
 Fleretur; licet illa imas fissura medullas
 FINDERET, & caram meliori à pectore partem
 Rumperet, exequias tamen has me solverem in omnes,
 Et tandem annorum solidarem vulnera fluxu.
 Sed nunc ô fatum, nimis ô miserabile fatum,
 Quod vix tempus, edax lachrymarum, aut sera vetustas
 Depascet, densâ circumstat nube malorum,
 Dum conclamat as mort. alibus innuit iras
 HVNNIVS egelida lachrymabile funus in urna.

Heu mihi! nec tantum mihi, vix centesimus horum.
 Quos ferit illa ruina, ego sum: quoscuq; benigno
 Haecenus amplexu melior Germania fovit,
 Heu vobis! per sacra precor, per publica sacra,
 Et per, quae tanti sunt conscia, pectora, fati:
 Artonitos animate animos, obstipa q; mentis
 Sensa redintegrate, novas seponite curas,
 Curarum finem cura hac facietis in urna.
 Divinate, quid haec portendant Numinis irae,
 Summa domo Domini rotant laquearia, tecto
 Suppositi genuere tholi, genuere columna,
 Pars inopinato cecidit iam subruta lapsu.
 Scilicet ut certam cum intentant fulmina cladem,
 Sidera nigrescunt, tenebris involvitur aether,
 Parvaq; per tenues scintillant fulgura nubes,
 Fit ruptura poli, tremulos facit aura sonores,
 Sapèque non solito miscet clangore boatum,

Dum tunc ille oculus, sacri pars dextera cordis
 Eruitur, gelidamq; tuâ stat funus in aede.
 Credibile est, plateasq; foris, cathedramq; LVTHERI
 Ingemuisse domi, lacrymisq; rigata dolores
 Ingeminasse suos Academi pulpita vestri.
 O utinam lacrymas, quas hic mihi conscius aër
 Imbibit, & gemitus suspiratosq; dolores
 Immiscere tuis detur; quibus Albias uda
 Ipsaq; Theologæ, Pietas, soror unica, Suade
 Explicitas lavere comas; ita cominus issem
 Exequias, illasq; semel; quas pectore tristi,
 Quo me cunq; trahet satum, nunc ibo quotannis.

O vos, HVNNIA DAE, quos flet Germania, manes,
 Tuq; Tuis revocare piis sub manibus, HVNNI;
 Qui novus in Cælo radiorum luce tuorum
 Lucifer ante tuum stas inter sidera Solem:
 Dic aedum, dic, care Pater, quam Numinis ira
 Precipiti letoq; tuo luctuq; tuorum
 Et patriæ patriisq; sacris minitata ruinam est?
 Num pote, supplicibus prævertere fulmina votis,
 Accensosq; irarum ignes extinguere fletu?
 Ab pote: panda DEI peccata dolentibus auris
 Prostat, & irarum resupinum retrahit æstum.
 Nos igitur lacrymis, ut odori thuris acerrâ,
 Et prece votivâ sacras onerabimus aras:
 Certè supplicibus datur indulgentia lapsis.

Sed Tu, care PATER, salve! ter ô optime salve!
 Te sacrosancta TRIAS, Te lucidus ordo sacrorum
 Spirituum, Patrumq; chorus, vatunq; corona
 Ambient, & ambabus feliciter excipit ulnis:
 Eia age, salve, HVNNI, salve! tandemné tot inter
 Hostiles acies victricem ad sidera dextram
 Tollis, & exemptus nobiscum Marte, triumphas?
 En tibi frondentem, victricia symbola palmam,
 Candentemq; stolam, nostrorum insignia fratrum,
 Et picturato nitidum diadema smaragdo;

*Pugnatum satis est: cape summa palatia cœli.
Hic demùm finisq; mali, requiesq; laborum est:
Ingredere & nunquam cessuris utere donis.*

*Hæc illi: his violas immortalesq; amaranthos,
Et quoscunq; alios tellus dat Maia flores,
Addo; sed & lacrymisq; meis gemituq; rigatos,
Si fas, in mediâ plantandos, offero tumbâ,
Vltima discipuli tristissima pignora grati.*

Fridericus Balduinus Ecclesiastes
Friburgensis.

S Idus in hoc, HVNNI, te non heu orbe revisam?
Amplius hic te vix visere dignus erat.
Offert, si vir sis, TANNER nova prælia? sed tu
Ex bello victor vectus ad astra sacro
Et nimum MORDAX nunc passim dicere morsis;
Mordebis morsas mortuus usque fues.
Et fex, pulsa lepus ceu tympana, rafa tremiscet,
Nec non calva tuos usque magisque libros.
Vivus habet raros lectores, fama negatur.
Vivis, & vivi vilis in orbe liber.
At clamavit iò vivo tibi terra triumphos:
Nunc quoque ceu vivum te manus omnis habet.
Et famâ, es libris, & magno nomine vivis;
Vivis in ore virum, sedeque cœlicolum.
Sed tamen, ô Pater, & currus auriga Iovæ,
Vsq; TVVM lacrumans pensito sæpe UALE.
“ Si Iovæ placeat, mox mi Zœmanne revises
“ Leucorin, atque brevi rursus abibis ovans.
“ Quò Deus & Princeps vocitat, nunc ibis. Et ivi:
Quod fore tu dixti, contigit omne mihi.

M. Georgius Zeemannus SS. Theolog. Profess. in Gy.
mnasio Laving. publicus.

Donec in oppositam, quò tenditur, icitur arcem,
 Obvia quæq; rapit, secas isthic, dissipat, urit,
 In mediog; furit penetrati missile telum.
 Sic patris irati succensa tonitrua sensim,
 Nec tantum sensim, sed magna exercita lucta
 Ipsa domus domini, motant tabulata, columnas
 Parte bonâ celeri morborum fulgure adurant.
 Parte bona mortis vehementi vulnere frangunt.

O pater, ò compeſce iram, compeſce furorem
 Et tam ſeva tuis deſende tonitrua tectis,
 Nec ſine, qui noſtris cervicibus imminet, idem
 Tentat as iterare minas: ſatis aſpera plaga
 Senſimus arma tue: tandem placaberis; tandem
 Iratum pones optata repagula: culpis
 Sit modus humanis, modus eſt coeleſtibus iris.

Interea iuſtas Germania docta, querelas
 Immiſtas lachrymis & humum plangentibus ulnis
 Funde, nec Hunniaden deſiſte dolere quotannis:
 Non quòd humo lacrymis poſſis revocare, vel orbis
 Reddere Leucorifin deſuncti funera patris;
 Sed quoniam pietas & gratæ gratia mentis
 His etiam Emerito lachrymis inhumata parentat.
 Non privata doles, ſed publica funera plangis,
 Funera Germanis vulnus minitantiæ ſacris.

Non ego divinosq; animos pectusq; politum
 Herculeasq; operas & dotes unius HVNNI
 Eloquent anguſto privati carminis ore:
 Spumifer hic Albi, celebriq; binominis unda
 Iſter, & obliquo ſe volvens flumine Lanus,
 Publica laudatæ monumenta in littore ſama
 Affixere ſacro nunquam pereuntia cedro.
 Optima Theologia pars Europæa meliſſa
 Hactenus obſtupuit verè coeleſtibus auſis,
 Succuſſuq; viri nunquam fallente labore.
 Sive ſacri ſpectes utriusq; volumina iuris
 Ad ſenſus revocata ſuos, interprete vivo,

Sive per hereticas exercita bella phalangas,
 Et semper certis exercita bella triumphis;
 HVNNIVS herois utringq, animosus in armis
 Theologas ostendit opes. & vindice lingua
 Et calamo samulante, sacroq, sagog, togaq,

Iam verò infractas scapulas & saxea colla
 Flectit, & optat à paulum respirat ab aura
 Heresis, in varias faciem distorta figuras:
 Iam diffusa comas; iam toto vertice rasa;
 Iam distenta logis; iam tot à Flaccida mente;
 Iam furibunda minis, iam toto pectore calva,
 Iamq, recens pictam iactans meretricula Formam.
 Hem tandem, ingeminat, tandem ergo desinis. HVNNI,
 Desinis armatas in nos vibrare sagittas,
 Quas tibi non hominum, sed diva potentia fulcit.
 Non vi mortali, sed maiestate coevâ:
 Sentio divini. quo pugnas, fulminis ictum.
 Sentio, & inflictas gemebunda recenseo plagas.
 Respirare datum est: evax! ita perge, sodales
 O dilecta meas inter, fidissima Clotho:
 Parce nec humani vivacia stamina fusi
 Illorum, qui nostra ruunt in viscera texe:
 Rumpe colum, susosq, citat à intercipe pausa.
 Sic ait; & pandis edentula rictibus ora
 Torquet, & incassam latratu in funera sevit.

Seviat illa licet; non & cum corpore libros
 Funerat atra dies, quos ille Beatior Heros
 Clavo immortalis spatioso in pariete mundi
 Iam dudum adfixit, qua disita & adsita terra
 Sol patet aureolis utringq, illustrat ocellis.
 Vivet in his, vinetq, potum dum sidera pingunt,
 Et rediviva suis succrescunt gramina terris;
 V. vet, & in medio, quos vicit, sanere vinet.

Sed Tu, Saxonie VVITTEBERGA, pedisse qua Christi,
 Quid Tibi nunc animi? satin' es tua? languida luctu,
 Et squalore genas suffusa & pectora planctu,

Dum

Tunc Latij, Graij, atque Hebri tunc germinis usa
 HVNNII vestirem tua funera; fata BEATI
 Ornarem, tua quod pietas, quod una celebris
 Cælo quod fata religio, Confessio, scripta
 Quod veneranda, tuus quod amor, candoris amictus
 In me non raro meritis: mihi fata piisque
 Surripiere VIRVM, quo non præstantior alter,
 Quo non integrior, meliorve aut sanior: æqua
 Lance gravis, lenis, bonus & sincerus ubivis
 Cognitus: hunc sine laude VIRVM pia Musa recuset
 Terræ visceribus claudi; huic sed reddere laudes
 Haud cuius promptum est meritis: mihi dicere fas sit
 Quæ poscit pietas, quæ grata probabit honestas.

Immatura tuæ mortis quid funera, SANCTE
 HVNNI, portendunt? Dignus superesse beati
 Annos Mathusalæ: at vix quinquagena triumque
 Aetas annorum, tibi lux concessa supernè
 Mortales inter: dolet huic Schola Leucoris, ipsa
 CONCIO Sanctorum, quæ totum sparsa per orbem
 Obstipio capite ingreditur, sed curia gaudet
 Papalis nimium: Lustrales ecce SVITÆ
 Ingeminant tremulos naso crisante cachinnos,
 Calvi subrident socii; sunt inter ovile
 Eceboli sparsi sacrarum (percipe fodes)
 Qui celant animo, qui ructant gaudia, nobis
 Surreptus quod NOSTER AMOR, non vanus aruspex,
 Sed Sacer ANTISTES, DOCTOR, verique Professor,
 Increpet at DOMINUS Satanam, perdatque SUITAS
 Orci prostibulum: Papales supprime sannas
 CHRISTE tui cætus Pastor primarius; odi
 Cætus bullatos, Calvos, quibus ulcus in ore
 Putre, quod eloquitur vanum, non vera, sed efflat
 Nil nisi blasphema in CHRISTVM, & mendacia spirat.
 Sed tamen interit (dicas sex CALVA, SUITA)
 ILLE suis multum qui nobis sæpe facessens
 Scriptis colloquioque gravi & sermonis honore,



Nos velur ense Gigas fortis prostravit, abegit
 Hinc procul: hinc facilem dabimus tibi, TURBA ruinam
 Qui tua LVTHERI de nomine nomina gestas,
 Nostraque devitas sacraria, fana, cuculios
 HVNNIVS ecce sua semotus sede tueri
 Non mago castra Dei poterit tremebunda loquelæ
 Præsidio, & scriptis, quem vermis pulvis & umbra
 Subvertit: Numquid ventura pericula sentis
 Grex tenuis, LVTHERI ardor, tu parva Sarepta?
 Nos mundanus honos fulcit, Nos summa potestas,
 Copia Nos cæterus, Nos rerum firmat & auctat.

Has, scio, vana cohors, Papæ de sordibus orta,
 Et quam CALVA fovet putredo, gaudia miscens,
 Spes vanas agitabit odore, sopore tenore.

Sed Satan irrisor, tua castra maligna, SUITÆ
 Cùm CALVIS sociis norint, hæc pectore in imo
 Assignent, quid portendant subitanea fata
 HUNNII, NOSTER AMOR, cur tanta columna sepulta
 Inter mortales vigeat non amplius una.

HVNNIVS ecce suæ complevit tempora vitæ,
 Quæ differre datur nulli sine NVMINIS aura
 DIUINI, seu perverse, seu transigat ævi
 Sanctius accursum: moritur cum paupere dives,
 Cum Senibus pueri: metam properamus ad istam
 Desuper è cælo quam TALI cuique locarunt,
 Hinc satis est vixisse Deo, qui donat & aufert
 Vitam, dat melioris opes, cœlestis honores.

HVNNIVS ecce subit justus sua fata, quid isto
 Annuit æterni justissima regula CHRISTI?
 An tu CALVA cohors, PAPALIS Curia quisque
 Peccato immersus tandem cognoscere normam
 Incipias lucis salvandæ, terminus ortus
 Et tibi num vitæ succurrat: iudicis iram
 Numquid perpendes, factorum, mentis & oris
 Examen mox qui instituet: tibi fata supersunt
 Tristia, ni culpæ citius pietatis honore,

HVNNI morte super HVNNI me, HVTERE, modorum
Flebilium iusta de pietate mones.

Hoc citra monitum, fateor, vix versibus ausus
Promere, quam me HVNNI fata suprema premant.

Nec parsum, nec rebar opus, numero edere pondus,
Iuq; mei luctus: quis sine quid lacrima?

HVNNIVS an tanto me percutit HVNNIVS ictu:
Sapius ut vix hoc fortior esse queam.

Si Species, si vis grata pietatis in ullis
HVNNI morte super, versibus his inerit.

O HVNNI, quoties, HVNNI, presentis imago
Ante meos oculos haeret imago tui?

Exstinctum quoties Pietas te vivere fingit:
Qua secreta auri commemorare mea?

Nobilis, illustris, vidit convivag; doctus,
Quo tuus in me anno creverit, usq; favor.

Qua foret impietas, hanc dissimulare, paterna
Quo propior storga non mihi quisq; fuit?

Quin hac si qua foret nota gratior ulla, vel illam
Te mihi spondentem mens mea saepe refert,

Magne HVNNI, lachrymas & summum suscipe salve:
Salve HVNNI, salve, terq; quaterq; Vale.

O HVNNI, charum caelo caput addite, salve:
Dive HVNNI, salve, sancte valetopater.

M. Conradus Ruhelius.

Non ego, magne HVNNI, miror mortem; avia nullum
Præterit: hanc Homini sors fuit ire DEO.

Nascimur, & morimur: vitam fors dejuvat, & sic
Morta solet vivos nos Herebina sequi;

Præmatura tamen lugendum est fata ruinæ
Tegmina dant fulcro mota ruente minas,

Pendula declinat lacrumis superobruta vitis,
Cum ulmus Saturni dente comesta fuit.

Et Preciæ tunicis marcent liventibus uvæ;
Quod non ulterius, quæ ferat, ulmus adest.

767886 WA

IN OBITUM

Ulmus es. ecquis es? ulmus eras; qua sustulit ipsa
 Se CHRISTVS tum uvis plenior, ulmus eras.
 HECTOR est obsessæ Christianæ unde-undique Troie
 Hostibus: an lapides non loquor? HECTOR eras,
 Quem tot Myrmidonum faciesque aciesque timebant.
 Pelida, ut caderes; Mors fuit ipsa vicem.
 Quod, Me-CHRISTE, malum est nullo medicabile fletu!
 Nec si vel cælo deplueret lacruma.
 Si desperatæ medica est opus arte saluti,
 CHRISTE tuis alium mox dabis Hunniaden.
 Facto. ter-felix placatis Manibus alma
 Dedolet Hunniada turba precata. VALE.
 Ac ne ætas offuscet anus facta Hunnia; vox est:
 CHRISTIDIS AEGIDIVS HVNNIVS AEGIS ERAT.
 Sole, salum sero; Sol sidere: sidus in auro:
 Aurum in flamma: ardens Iaspide flamma micat;
 Clarior è cæli meus HVNNIVS emicat astris,
 Iaspide, flamma, auro, Sidere, sole salo.

Johannes Hoffman Thurnavivus Fr.

F I N I S.



ME



Pon 26 7886 QK

ULB Halle

3

002 412 748



1017





OK 249 44 **THRENC**

De vita, rebus gestis
simul ac beati

Dn. ÆGIDI
MAGNI ILLIVS DO
GI: ET PVRIORIS RE
anae assertoris ac vi

Recitata V

CVM AB ORDINI
tis in luctu maxim

Collegæ & præceptori desic

Aut

LEONHARTO
S. Theologiæ Doctore

Accessit Epistola ad Illustrissimum
qua respondetur ad sannas & sarca
Esauvita, pios HVNNII ma
laceffere & alla

VVITTE
Sumptibus Clementis Berg

ANNO

BIBLI
PONICI

